

August Varenius Gottfried Weiss

Anti-Socinianismus Orthodoxus

Rostochii: Richelius, [ca. 1679]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737567589>


Druck Freier  Zugang



RU theol. 1679

Varenius, Aug./a





ANTI-SOCINIANISMUS ORTHODOXUS

Quem
MODERATORE ALTISSIMO

vitam gratiamque largiente
Consensu venerabilis Facultatis Theologicæ

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Serenissimor: Ducum Consistorii Assessore &
Professore Theologo, Collegii Theologici & totius Acad.
Seniore & h. t. DECANO,

GEMINATO DISPUTATIONIS ACTU

Uno, quoad Apparatum, & Sectionem I. ac II.

De PRINCIPIO COGNOSCENDI & ESSENDI THEOLOGICO
illo, S. Scripturâ Canonicâ, hoc, DEO TRINUNO

d. XXIV. Aprilis

Altero, quoad **ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΝ**

s. HOMINEM consideratum in quadruplici statu

d. XXIX. Aprilis

horis ab 8. antemerid. in AUDITORIO MAGNO

publicè **RESPONDENS**

exhibebit

GOTHFREDUS Weiß

Hollandiâ Prussus.

Rostochii, Prælo RICHELIANO.

May Malch 1679.

T. 1679

MAGNIFICO
DN. RECTORI

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

DOMINO

GEORGIO

RADOVIO,

Jcto & Antecessori in Acad. Rostoch. Celeber-
rimo, Nobiliss: statuum Ducatus Meklenburg: SYNDICO

meritissimo. SUO

qvà Sangvinem Dn. AVUNCULO

qvà curam PATRI

A Ccipe qvòdevota manus TIBI vult esse Sacrum: si nihil aliud, attamen
Sanguinis, qvì nos communis alit, non ad quietem in otii tenebris & tor-
porem nati, SPECIMEN. Indignum illo foret, partem qvæ mihi celsit fieri he-
terogeneam, ut qvì tanto in TE vigore tam præclaris motibus acquisito clare-
scit, in me obscurâ tristiqve capiat quiete vitium. Præterea & TU, ut ad qvemvis
in hoc curriculo Academico motum, ita præsentem, vires alias vix ac ne vix pa-
res, singulari qvo es in TUOS studio, animiqve adfectu, sustines. Qvare me-
rito & hic ad Te suum refertur principium. VIVE BONIS, TUISqve delictum,
unâ cum CONJUGE Nobilissimâ ad eò ad ingenium moresqve TUOS accom-
modata, DIU, FELICITER. Ego, dum in hoc pectore Sanguis meus suum
obibit circulum omnis erga TE observantiæ partes obire non desinam,

Magnificentia Tuæ

Observantissimus Addictiss.

Gothofredus Rost

ANTI-SOCINIANISMI Orthodoxi

SECTIO I.

Exhibens Apparatum s. *weſewſas* Matæologiæ
Photino-Socinianæ

I.



Vi impulsore Satanâ, serpente illo antiquo & seductore Oecumenico, in oppugnandis primariis religionis Christianæ articulis de divinâ Jesu Christi naturâ ac personâ, de ss. Trinitate, de satisfactionis & meriti Jesu Christi veritate, & veterum & recentiorum hæsiarcharum pestilentissimo errore reducendo, latissimèque propagando, sive parem istis Antecessoribus Dogmatistis indolem, studiumque, ad prodigiôsè blasphemam usque de veritate suæ religionis gloriationem, accommodarunt, sive eandem saltem dogmatum hæreticorum professionem publicè testati sunt & pertinaciter ostendunt, ab illis ipsis, & adeo (in hypothesi) in lineâ descendente hæsiarchicâ ab Atavo Ebione (Sec. 1.) ab abavo, Paulo Samosateno, Antiocheno Præsule (Sec. 3.) à Proavo Fotino, vel (prout, quò apparet ΑΨΥΕΛΩ Φωτῖνος s. illuminans & illuminatus, scribi maluit) Photino, non illo, sive seculi IV. Ancyrano Presbytero, sive seculi II. in Galliis Episcopo, utroque Confessore Catholico, hoc etiam sub M. Aurelio, Lugdunensi Martyre, atque sic verè PHOTINO s. Φωτῖνω : sed) illo Marcelli Ancyranî Discipulo, Syrmienſi Episcopo, sec. IV. hæreticorum Coryphæorum uno, & plus ultra descendendo ab Avo Serveto, Hispano medico (sepultam per 1100 annos Ebionis, Samosateni, Photini hæresin renovante, &, Calvino procurante, a 1553. d. 27. Oct. juxta Meisn. 1555. m. Decēbr. ob blasphemias combusto Geneva) à Lelio denique, ejusdemq; infanto (ex Fratre) Nepote FAUSTO SOCINIS, velut Parentibus (quorum ille primus meritū & satisfactionem Christi negavit: hic, illo mortuo, errorem disseminavit, summo jure vocantur Ebionita, Samosateniani, Photiniani, Servetiani, Sociniani. Prov. 30. 4. 1. Tim. 3. 16. Matth. 28. 19. Jel. 53. 4. 5. 6. 11. 12. Matth. 20. 28. Apoc. 2. 14. 15 20. Contra communem Socinianorum querelam.

A

II. Ma-

*B. Crell
Photini*

II. Matæologia Sociniana, magis orthodoxæ de Deo, Christo, Evangelio, Sacramentis, fide, justificatione, doctrinæ destructiva, quàm oppositæ suæ, suorumque dogmatum assertiva, & confirmativa, prout in hæreticis positivis, in Theologiâ strictè sic dictâ, s. art. de SS. Trin. & Christologia reducitur veterem Photinianismum: Ita (non tam in positivis, quàm) negativis hæreticis (e. c. negatâ $\delta\upsilon\omicron\sigma\upsilon\sigma\iota\alpha$ Trinitate, ipsiusque sic Filii verâ & naturali divinitate, cum Patre consubstantialitate, æternitate, Creatoris universi equali cum Patre autoritate, ac cùm Filii, tum Spiritus S. divinâ personalitate) etiam veterem Arianismum, & adeo respectivè ac secundum quid rectè appellatur Ariana. Marc. 9. 40. Jes. 1. 10. Ezech. 16. 3. 45. Apoc. 2. 9. c. 3. 9. Contra querelam Socini in Libro quod regni Polonia & c. & Ostorodi in præf. Instit. p. 10. 11. 13.

III. Matæologia Sociniana, non saltim, quoad fundamentales illos Christianæ religionis articulos reducitur (præter illos Hæresiarchas in rectâ lineâ Antecessores) in Arianos: sed & e. c. in articulis istis & aliis non minùs fundamentalibus (quoad assertam in Deo, non nisi unam personam) in Sabellianos, (quoad divinitatem & $\delta\mu\epsilon\sigma\upsilon\sigma\iota\alpha\upsilon$ cum Patre, Christo negatam, solam humanitatem eidem aliquando assertam) in Cerinthianos & Evnomianos, (quoad eandem humanitatem $\delta\mu\epsilon\sigma\upsilon\sigma\iota\alpha\upsilon$ inde ab ascensione negatam) in Manichæos, Eutychianos, Apellitas (quoad non improbatam Angelolatram, & his attributum in creatione, quoddam divinitatis consortium) in Cerinthianos & Angelicos (quoad negatam ex lapsu primi hominis, vitiataque in illo naturâ inhærentem posteris Concupiscentiam) iterum in Manichæos (quoad Anthropologiam ferè universam in omni statu e. c. Primo, quoad hypothesin Adami conditi & mortalis, & citra meritum culpæ, ex solâ conditione naturæ morituri: in secundo, negati, quod ex nativitate carnali trahatur, Originalis peccati, & asserti in spiritualibus extra & ante gratiam, naturalis liberi arbitrii, in tertio, vel hoc potius penitus sublato, Gratiæ saltim ad præstandum facilius, quod per solum liberum arbitrium præstitum futurum erat difficilius admittæ, unâ cùm hypothesi de possibili homini post lapsum, omnium præceptorum divinorum perfectâ impletionem, & sine omni maculâ & ruga traducende in terris vitæ, in quarto, vitæ æternæ juxta merita operum dandæ) in Pelagianos, (quoad gloriationem de verâ penes se solos Ecclesiâ) iterum in

Donati-

Donatistas veteres (quoad præfractè negatam in sensu composito, veræ CARNIS resurrectionem) in *Severianos*, aliosque veteres & damnatos jam olim ab Ecclesiâ Catholicâ hæreticos, quin plus ultra (in assertâ unâ saltem in Deo personâ, negatâque Christo naturâ divinâ, negatâ item passione & morte Christi satisfactoriâ, iustitiâ Christi ad justificationem & vitam æternam imputatâ, ac Sacramentorum necessitate oppugnatâ) in Judaismum, Muhammetismum, Paganismum & Atheismum resolvitur. 2. Pet. 2. 1. 2. 3. 15. 19. conf. Ostorod. in præfat. Inst. & alii

IV. Matæologiæ Socinianæ conspiratio non minùs, eademque multiplex in articulo etiam de SS, Trinitate, & Christo Θεανθρωπος ac locis utrumque dogma probantibus, præcipuè autem in Anthropologiâ, quoad statum primum & secundum, & magis quoque quoad statum tertium s. *reparationis*, datur cum Papismo & Calvinismo (quâ de re videatur specimen Confessionis Papisticæ, allegatum ex Valeriani Magni iudicio de Catholicorum & A catholicorum Regulâ credendi, in scripto Sociniano, cui titulus: *Revelatio Catholicismi veri* p. 10. & Franciscus David in *Colloquio Albæ Julæ* habito, provocans apertè ad scripta *Calvini*, unde constet ex Joh. 10. 30. non solidè probari, *Filium esse Patri* ὁμοούσιον vid. Act. Colloqvii p. 18. 24.) & longè maxima, cum in dogmaticis tum in practicis (e. c. de religione & sacramentorum *Adiaphorismo*, & intermittendâ sectarum vel sectariorum damnatione & nominali Elencho) cum Anabaptistis & Enthufastis.

V. Præter Conspirationem illam cum multiplicibus hæreticorum veterum & recentiorum sectis, peculiaris ferè sectæ Socinianæ character est, vana & vel blasphemata de suo dogmate, & Ecclesiarum praxi intolerantiâ heterodoxorum religiosâ *gloriatio*, qualis e. c. illa Fausti Socini de patruo Lælio, quod *sententiam, quam de Jesu Christi personâ amplectantur, primus Omnium superiori seculo a. 1561. docuerit* (qui sc. Tiguri diu versatus ac tandem mortuus, post mortem demum ex scriptis posthumis, in quibus *primus meritum & satisfactionem Christi pro peccatis nostris negavit*, Samosatēnianus vel Photinianus est revelatus, quem errorem deinceps *Faustus*, Basileæ, in disputatione privatâ a. 1577. habitâ non solùm acriter defendere cœpit: sed etiam longè lateque propagavit) quodque de *cæteribus Evangelicorum imminutis, suis autem indies auctis*

idem alibi gloriatur, idq; præcipuè *excommunicationi* apud suos vigenti, apud nostros remittenti vel cessanti, impûtet Socinus, quod de nostrorum, etiam symmistarum, ruditate: suorum autem Auditorum capacitate gloriatur Smalcus: qui idem quantos sibi Spiritus sumferit, vel ex his apparet: *Cassum*, inquit, *illud ædificium, quod hæcenus pro fundamento est habitum, dogma sc. de Trinitate, jam bonâ ex parte concussimus, & nostrâ operâ Deus alto suo consilio, quicquid ad cognitionem veram Dei & Jesu Christi aliunde assutum est, universo mundo patefaciet*; Ita gloriatur Ostorodus, *novam & inde à temporibus Apostolorum inauditam esse illam suæ sectæ doctrinam & praxin, quod neminem ob erroneas opiniones damnent: sed quotquot vel generali saltem quâdam professione Christum agnoscant pro suo Domino & servatore, illos omnes verè Christianos & Fratres habeant, licet varios de Christi personâ foveant errores*: Wir wollen (ait idem) niemand wegen seiner Meinung verwerffen noch verdammen / sondern herzlich gerne einen jeglichen für einen Bruder halten / ob Er schon in vielen Punkten mit uns nicht übereinkomt. Nec minùs vana, quæque manifestâ petitione principii laborat, gloriatio Socinianorum est, se solos habere illum à Johanne 1. Ep. c. 4. 2. expressum, *characterem Spiritus, qui ex Deo est, quia sc. profiteantur Jesum esse Christum, qui venerit in carne*. Si enim majoris subjectum rite modificetur, minor & sine, & cum exclusivâ, falsa est. 2. Cor. I. 12. c. 10. 13. 17. 18. c. 11. 13. 14. 15. Galat. 6. 13. 14. Philip. 3. 19. Jud. c. un. v. 11. 12. 16. Conf. Soc. in def. animadv. p. 67. & app. libri q. 2. P. Smalc. disp. 1. de Trin. & cont. *nova monstra* c. 1. p. 10. Ostorod. in præf. Instit. & alii.

VI. Non minùs 3. hic singularis hujus Sectæ character notatus jamdudum est, quod non particulam aliquam Orthodoxæ *de Deo trino, de æterno æterni Patris Filio, eodemq; per incarnationem θεογονίᾳ, per absolutissimum meritum, & plenariam propriamq; satisfactionem, Redemptore & Salvatore mundi, de Evangelio adeo, fide in Christum, justificatione, regeneratione, Sacramentis, doctrinæ*: sed universam illam in Scripturis Prophetis & Apostolicis comprehensam, simul undiq; impugnet & infestet, prout 4. quod non tam *κατασκευαστικῶς* vel *assertivè* suas heterodidas alias adstruendo, vel ex scripturis argumenta pro suâ positivâ hæreticâ producendo, quàm *ἀνασκευαστικῶς*, s. *destructivè*, Orthodoxiam

xiam

xiam Catholicam negando, & istam destruere conando, agat, atque dein postulet (quale vanum Moscorovii in ref. app. Smiglec. p. 4 postulatum fuit) dogmata sua non judicanda, ex sententia sibi contrarie destructione vel negatione: sed ex sua, quam asserat, sententia professione. Conf. Matth. 22. 31. 32. Luc. 20. 37. c. 24, 25. 26. 27. 44. 45. 46. 47. Joh. 4. 23. 24. 26. c. 9. 37. Joh. 18. 19. 20. 21. 37. Act. 2. 22. 37. c. 10. 22. c. 13. 32. 38. 39. c. 17. 3.

VII. Sed & 5. singularis hujus sectæ indoles apparet, pertinax in errore obstinatio, arrogans. in fidem Catholicam & hujus Professores insultatio, & pro illâ, quam se tenere præsumit, vel opinatur, veritate, præfidens ad tribunal Christi appellatio, prout & 6. varia, qua seipos alicubi mutuo conficiunt, & à seipsis dissentiunt, quod unâ manu largiuntur vel asserunt, alterâ destruendo, Contradictio, qualis cum ubique in ipsâ *πραγματολογία* s. *matæologia* illorum dogmaticâ appareat, nehic in *αρθρωσία* vel apparatu deest. Ita e. c. (1) largiuntur illum, qui in principalibus cum Ario consensit de JESU CHRISTO, jure merito Arianismi argui posse: largiuntur quoque & concedunt: Arium, asserendo Filium Dei ex non entibus factum esse, necessariò negasse Filium Dei Patri *ὁμοούσιον*, quod cum Ario æquè ipsi pernegent: Meritò, inquit, atque optimo jure negatur nobis Homousios Patri Filius: tumultuantur vel indignantur Athanasio, quod ex pacto cum Demone, vel magiâ naturali procuravit viscerum ejectionem in Ario (conf. Smalc. cont. Franc. & resp. ad nova monstra, Moscorov. l. alleg. Theodol. Schinberg. in præfat. Carol.) & tamen concessis sic præmissis, negant conclusionem, sibi sc. ullâ ratione Syncrētismum cum Arianis imputandum, quomodo Ostorodus in præf. jactare ausus: Wir haben mit dem Ebionern und Arianern im geringsten keine Gemeinschaft/ & Socinus libro quod regni Pol. p. 7 & seq. Summâ, inquit, injuriâ Ariani appellamur. Ita 2. publicè testantur, se ipsissimam Photini sententiam tenere, & hunc hanc ipsam, quam ipsi nunc asserant Socini sententiam, acriter & sermone & scriptis defendisse, Photinum verum Jesu Christi servum fuisse, æque ac Servetum, de quo scribere non verentur: Servetus frater noster fuit, & Servus Messia, qui vitam profunderet, quam sententiam de JESU, quam veram esse credebat, deserere maluit, quæ res valde jucundam ejus apud nos memoriam reliquit, & perpetuam illi apud DELM. gloriam, apud omnes bonos commendationem peperit vel pari-

tura est: Se adeo pro veritate sue religionis unà cum Photino & Serveto ad tribunal Christi appellare (Vid. Socin. contra Volan. Ostorod. in præf. Smalc. contra Franc. p. 10. Theoph. Nicolaidestr. de Eccl. p. 22.) & tamen, quando à nobis Photiniani vel Servetiani appellantur, de injuriâ protestantur. conf. Smalc. in ref. disp. Franc. de Trinitate, & alibi. Matth. 7. 23. Luc. 13. 25. 26.

IIX. Ita 3. Agnovit ultro Socinus, fidem nostram Catholicam, quâ profiteamur Christum ex Dei Patris substantiâ ab æterno genitum, eundemque cum Patre Creatorem universi, cum Patre quoq; adorandû & invocandum, quamque ipsi negent, fuisse ab initio nascentis Ecclesiæ adusq; nostra tempora, tot innumerabilium Vivorum, tot Sanctissimorum martyrum, & Christo nimis aperte in sacris literis illa tribui, quæ soli vero DEO competant (vid. Socin. in epistolâ de invoc. Christi p. 267. 291.) quam fidem, licet unà cum præcepto de Christo invocando, sic, ut ex argumento adorationis vel invocationis probetur verus naturâ DEUS, ibidem vocet gravissimum errorem, tamen postulatur agnosci, Socinianismum esse verum Christianismum, & Socinianos esse veros & genuinos Evangelicos & Christianos, illorumq; Spiritum, velut confessorem JESU CHRISTI qui in carne venerit, ex DEO esse Conf. Smalc. & Ostorod. l. alleg. Contra: Qvi religionem Christianam in fundamentalibus Articulis non saltem negant: sed & eandem blasphemè oppugnant, ac contrariâ professione à fide & professione sincerè & verè Christianâ, sese separant, Filii Dei incarnationè, & sic adventum in carnem vel in carne, s. Verbum Carnem factum, negant, ejusdemq; Officium, Sacerdotale præcipuè, impugnant, non obstante contrariâ facto protestatione, se esse veros Christianos, vel generali quadam externâ Christi professione, velut cum *ἀμείβη* & hæresi consistibili, ac plurimis damnandis communi, veri Evangelici & Christiani non sunt, & Anti-Christianum potius quàm Christianum Spiritum ostendunt. Matt. 12. 30. c. 7, 15. 23. 2. Cor. 6, 14. Apoc. 2, 9, 12. 15. c. 3. 9. 1. Joh. 2, 18. 19.

IX. Ita 4. impossibile assertum Socinianorum: Lutheranos talem fovere de Christo & ejus divinitate, atque adeo de Trinitate sententiam, quæ non tollat per se fidem in Christum & veram sanctimoniam, habere illos doctrinam salutarem: articulum de Trinitate, quo præcipuè discernamur, immunem esse à damnatione, quippe circa quem error constare possit salvâ portâ cæli

cæli, & non obstante hoc, salus æterna obtineri (Conf. Theoph. Nic. contr. Bercov. p. 19. & de miss. min. Eccl. p. 94. Socin. l. quod regn. Pol. Smalc. in ded. ref. Franz. & ref. Gravv. p. 4. Ostor. l. all. Volkel. ref. diff. nod. Gord. p. 31.) nec minùs Lutheranos, ut eant secum velin *consonantiam omnimodam dogmaticam*, vel saltem *tolerantiam & fraternitatem religiosam*, sollicitare (Smalc. l. alleg.) & tamen Lutheranos, cunctosq; Professores SS. Trinitatis, Christi æternæ generationis, ac naturæ divinitatis, *Idololatriæ crassissimæ, horrendorū & blasphemorū ex imo orco, per Filium perditionis s. magnum illum Antichristum, virtute Satanae ad æternā usq; damnationē eductorum, & Ecclesiis gentium obtrusorum dogmatum*, qui & in illis, & aliis dogmatibus de incarnatione, mediatoriâ satisfactione, justitiæ Christi imputatione, Baptismi aquæ necessitate, ejusdemqve primario effectu, regeneratione, Corporis & Sangvinis Christi cum pane & vino sacramentali unione, & orali ab omnibus communicantibus Communicatione, ejusdemqve, ex intentione Testatoris, sine, peccatorum remissione, *monstrororum absurdissimorum, ad fundamentum subvertendum accommodatissimorum, exhibilandorum commentorum vel Antichristi figmentorum* (non alio, quàm quo Purgatoriū Papisticum vel Papistarum sacrificium missaticum nobis habeatur, loco habendorum) accusare (Socin. l. quod regn. Pol. p. 20. 21. 40 Smalc. disp. de Tr. p. 2. 10. 15. 35. Schinberg præf. ref. Carol. Sommerianæ Zvvikk in compelle) Ita 5. contradictoria asserta sunt: Lutheranos *ab errore omni in salutis fundamento, hæresi omni, absolvere, iisdē, quod sint vera Christi, Ecclesia, quod non obstante illorum de Christi divinitate & Trinitate sententiâ, & teneantur esse & revera sint una cum Socinianis Ecclesia, quodque & fidem & fidei ac salutis fundamentum retineant inconcussum*, publicè, arrogare (conf. Socin. in defens. animadvers. p. 37. 38. Volkel. & Nicol. l. alleg. Smalc. in ded. ref. thes. Franzii & c.) & tamen, quum Franzius de gentilibus suis, Ostorqdo, Volkel. Smalzio, fore se, ut *ad veram, unde exiverant Apostata, Ecclesiam redirent, initio benè sperasset, illi spei istud reponere: Quod Franzius spem concipit de reditu ad se nostro, in eo scientiam ejus desidero. MORI mallemus, quàm ad Lutheranorum Ecclesiam redire. Confessionem nostram (Socinianam) ipsa vita longè longèque cariorem habemus, & Franzium idem agniturum & optamus & speramus, quod ab eo nominati gentiles ejus jam agnoverunt* (conf. Smalc. in ded. ref. thes. Franz.)

Ita 6.

Ita 6. Contradictorium, parumque delirio abesse videtur, Lutheranos, quod non sint heretici, quod habeant salutarem Christi veritatem, & hujus Professores sint, quod nullum habeant errorem in salutis fundamento, quod talem foveant de Christo sententiam, quæ non tollat fidem in Christum & veram sanctimoniam, quod habeant veros legitimosque Ministros, apertâ confessione ad oblationem usque; fraternitatis, vel petitionem saltem religiose tolerantia tribuere (Socin. Nicol. Volkel. Smalc. l. alleg.) & tamen illorum Apostasiam ad Socinianam, quæ & domestico Socini judicio talis est, cujus fides à communi sententiâ discrepans necessaria non est, cum Lutheranorum fides sufficiat (vid. Soc. resp. ad Epist. 2. Niemejov. p. 19.) & nostro, planè Antichristiana, fundamentalium fidei articulorum (quales non saltem sunt illi à Socino concessi, e. c. de prædestinatione, de justificatione & c. vid. lib. q. r. P. p. 23 sed & in primis ille de SS Trinitate, de Filii Dei incarnatione, de Legis impletione, de Sacramētis) everfiva, & sic damnabilis æquè, ac præeunte praxi cum scripturæ, tum Ecclesiæ, sine concessione tolerantia religioſæ, cum Dogmatistis pervicacibus & blasphemis, damnanda, tanto conatu, ad compulforiales usque, publicè sollicitare, prout cum ab aliis factum, tum à Zvvikk. & Socino in Syllogismo partim svaforio ad amplectendum Socinianismum, partim dissvaforio ad non amplectendum religionem Lutheranorum, cui uni argumento totum impendit librum illum, cujus titulus: *Quod regni Poloniae & magnæ Lithuaniæ homines illi se coetui debeant adjungere, qui falsò Ebionitæ & Ariani appellantur.*

X In Syllogismo illo bimembri (tali: Quarumcunqve religionum Una talia habet dogmata, per quæ nemo facile, altera autem, per quæ omnes facile à vitiis & peccatis liberi esse possint. 2. una quædam, altera, nulla dogmata Christi præceptis adversantia. 3. Una errores viam salutis impediens, altera, nullos tales habet. 4. quarum in unâ multa, in alterâ nulla ignorantur, quorum cognitio est utilis, illarum ista est repudianda: hæc autem, velut verè Christiana, est eligenda & approbanda. Atque de religione (e. c.) Lutheranorum verum est prius, de Socinianorum, posterius E. illa repudianda, hæc eligenda) minor est falsa, prout peculiari libello, sub titulo considerationis Theolog. Photinianæ probatum B. Meisnero, quoad 1. p. 41. 42. quoad 2. p. 178. 179. quoad 3. p. 247. 248. quoad 4. p. 633. 644.

XI. Soci.

XI. Socinianismus est farrago dogmatum hæreticorum, cum in plurimis fidei articulis præter Judaismum, ex veteri Manichæismo, Donatismo, Pelagianismo, tum præcipuè in articulis de S. S. Trinitate & divinâ Jesu Christi naturâ & personâ, in negativis hæreticis ex Arianismo: In Positivis, ex Ebionis Samosateni, Photini & proxime Serveti ac Socinorum hæresi conflata, Papismo, Calvinismo, & Anabaptismo alicubi consanguinea, primariò doctrinam de divina Christi natura, & per hanc dogma de Personarum in essentia divina Trinitate, ac Filii DEI incarnatione, inde dogma quoque de satisfactione, & imputatâ Christi justitia, cum suis hypothësis, omnemque sic religionis Christianæ fundamentalem veritatem abnegans, & aliam ad regnum cœlorum viam, per perfectam, quam possibilem fingit, legis obedientiam furrogans.

XII Prout solemne heterodoxis compendium est, erroribus vel hæresibus suis in crustandis commodissimam adhibere methodum, & ipsâ hypothësi, Theologiæ velut *disciplinæ Præcticæ, & methodi inde Analyticæ* abuti: Ita & eadem in persuadenda illâ, quam comminiscitur, *salutis via*, Socinianismus abuitur. Nobis in præsens (salva Ordinationis alterius libertate) illa probabitur, quæ in ipso rerum Theologicarum ordine fundatur, & adeo à principio cognoscendi s. S. Scripturâ, rectâ ad veritates supernaturales s. Articulos de Deo & creaturis, ad lapsum usque & statum peccati & ita hætenus relicto homine perduto, ad CHRISTUM iterum ascendendo inde à Prædestinatione & huic opposita reprobatione, ad ipsum usque procedit fidei finem seu Fidelium perseverantium beatitudinem, oppositamque huic in fidelium æternam damnationem.

SECTIO II.

Anti-Socinianismi exhibens Aphorismos

Theologicos quoad ipsos

ARTICULOS FIDEI.

I.

DE PRINCIPIO cognoscendi Theologico, non RATIONE :
sed SCRIPTURA CANONICA.

Principium sub quo, in θεωρωσια naturali, s. naturaliter de Deo cognoscibilibus, est Lumen rationis s. recta ratio. Datur quippe ex
B solo

solo libro *naturæ* interno & *creaturæ* externo, habitus notitiarum naturalium, & hic non tantum *Ἰννῆσις* s. ex libro creaturæ, beneficio rationis naturaliter *acquisitus*: sed & *ἐμφυσις* s. subjectivè *innatus*, & utroque sic respectu *θεογνωσία*, (non autem *Atheismus*) naturalis, & ex hac non saltim naturaliter non impossibilis: sed & sub poenâ *inexcusabilitatis*, omni Infideli adulto necessaria *inquisitio veri Numinis, & perfectioris de vero DEO, ejusq; vero cultu, revelationis*. Ubi in ipso statim Jimine notetur Socinianismus *ἐαυθενήμαρτυροῦμεν* s. domi contradictorius. *Naturalem* quippe *θεογνωσίαν* s. de Deo *notitiam* omnem, cum *connatam* illam, tum *acquisitam* negat Ostorodus Instit. c. 1. & c. 7. affirmat illam, velut *igniculum*, *etsi flammæ revelationis imparem*, tamen *ex recte rationis lumine profluentem* Smalcus, contr. Franc. disp. 8. p. 124. qvomodo & Homini *innatam insitamque* sic qvadam *θεογνωσίαν* *naturalem* velut *receptiorem sententiam*, asserit Socinus in prælect. c. 2. p. 3. conf. Rom. I. 19. 20. 21. c. 2. 14. Act. 17. 27. 28. Pl. 14. 1.

II. Principium sub quo Theologiæ supernaturalis & omnium conclusionum Theologicarum est singularissima *ἀποκάλυψις* s. *revelatio*, non abstrahenda à suo revelato Scripturis Prophetis & Apostolicis circumscripto. Nec implicat, qvoddam objectum dogmaticum, diverso respectu, & esse *ex lumine revelationis* illius *πιστὴν* s. *credibile*, & *ex lumine rationis*, *ἐκ μέγους* s. aliquatenus, *γνωστὸν* s. *naturaliter cognoscibile*, qvin & omne *γνωστὸν τῷ θεῷ*, s. qvod de Deo *sub lumine rationis* scitur, est *πιστὴν τοῦ θεοῦ* s. tale, qvod longè plenius & certius de Deo *sub lumine revelationis* creditur, & qvoddam *πιστὴν* s. qvod de Deo creditur, est suo qvoddam modo (citra sufficientiam tamen ad *viam salutis*) *γνωστὸν τῷ θεῷ* s. secundum quid *sub lumine rationis cognoscibile* de Deo. Neqve verò Rom. I. 18. 19. 20. c. 2. 13. 14. agitur de notitiâ *revelatâ Evangelicâ*, de qvâ v. 16. sed *naturali*, nec adeo de objectis dogmaticis Evangelicis; s. illis *πνευματικοῖς* *spiritualibus* homini *animali incognoscibilibus* 1. Cor. 2. 14. sed *naturaliter cognoscibilibus*.

III. Principium Theologiæ adæquatam & propriam, idemqve *Regula fidei & morum*, non est nisi illa ex *supernaturali revelatione* s. *immediatâ inspiratione & pari autoritate Prophetis æqvè in V. ac Apostolis*

stolis scriptoribus in N. T. revelata & per hos cum Ecclesiâ communi-
cata *Scriptura, Prophetica & Apostolica*. Licet autem ad iudicium
Theologicum formandum, firmandum & præsentandum, etiam in
summis mysteriis credendis & proponendis, cum passivè (velut *subje-*
ctum illuminandum, informandum) tum activè & in actu exercito, vel-
ut argumentationis, illationis Theologicæ ac consequentiarum forman-
darum, *instrumentum*, requiratur RATIO: nec saltem RATIONI illu-
minatæ & sese intra revelationis limites continenti non sit contradi-
cendum: sed & nullum dogma lumine supernaturali ex scripturâ cre-
dendum, rationi (ut sic, & in se considerata) vel ex hâc legitimè educto
& rectè modificato axiomatico Philosophico, verè & realiter sit *ἀντιφατικόν*
s. contradictorium, non tamen (1.) solùm *ratione existentis* in subjecto
quodam irrogenito, quia & quodam regenito *iudicium rationis* iudicio
fidei, est contradictorium: sed ipsa quoque RATIO ut sic & præcisè à
subjecto s. *irrogenito* s. *regenito* considerata, non *capax* est *mysteriorum*
fidei, sic ut omnia credenda *rationi* sint consentanea, & hæc illorum *iudex*
vel regula. Neque ratio ultima (s. extrinseca s. intrinseca) sub quâ, &
propter quam fide divinâ credatur scripturæ, hujus sensui, & per hunc,
articulo fidei, est objecti credendi cum naturali iudicio *rationis* *confor-*
mitas: sed ipsius Scripturæ de sui *θεωρεσιᾳ, infallibilitate & sensu*
genuino testificantis, atque sic fortissimè Lectori vel Consultori *veritatem*
illam supernaturalem persuadentis, majestas, & divina sic virtus vel auto-
ritas. 1. Cor. 10. 15. Gal. 3. 3. 2. Cor. 10. 5. Marci 16. 14. 2. Tim. 2. 7.
1. Cor. 15. à 35. ad usque 43. Act. 17. 27. 28. Hebr. 6. 18. Rom. 4. 18. Act.
26. 19. Num. 11. 21. et seq. Matth. 16. 16. 1. Cor. 3. 19. c. 11. 1. 3. 1. Tim. 2. 13.
2. Tim. 3. 16. Joh. 3. 4. 5. 9. Matt. 19. 24. Errant ergo Sociniani, myste-
ria fidei nec *contra rationem*, qualis communiter datur (post lapsum)
nec *supra hanc* asserendo, quin, cum Theoricè tum Practicè, in regulâ
credendorum, *restam*, quam vocant, *rationem* sacris literis non apponeu-
do saltim: sed & anteponendo, & RATIONIS, velut summæ religionis,
iudicio ac contradictionis principio, rationarium credendorum, etiam
in summis fidei articulis submittendo Conf. Socin. Smalc. Ostorod. &
in tractatu tractatum, Zvvikkerus.

IV. Propter illam rationis incapacitatem & mysteriorum fidei cœlestem sublimitatem, iudicium vel tribunal Theologicum simpliciter rationi denegandum, etiam regenitæ, vel, q̄ualis, suppositâ illuminatione, est in regenito e. c. Abrahamo, *rationem captivante* & contra hujus iudicium credente, q̄uin, in casu dubio s. contradictorio, rationis contra scripturam, & scripturæ contra rationem apparenter vel valde probabiliter pronunciantē, non RATIONIS velut principii peregrini & alieni: sed solius SCRIPTURÆ, velut regulæ fidei, iudicio standum, nec illi: sed huic, ipsiq̄ue sic *Verbo fidei* iudicium de contradictionibus Theologicis est submittendum. Rom. 16. 25. 26. 1. Cor. 2. 6. 7. 11. Rom. 4. 18. Joh. 20. 28. 2. Reg. 5. 12. c. 7 l. 2. Luc. 1. 31. 34. 35. Job. 17. 51. 16. c. 19. 25. 26. Jes. 7. 9. Jer. 38. 19. 20. Marci 12. 27. Cont Socinianos e. c. Schinberg-Smalc. Ostorod. Zvvikker. cūm Theoricè tum practicè (e. c. in artic. de SS. Trinitate, Filii Dei incarnatione & humanitate, sine humana personalitate, Christi verâ satisfactione, eorundem numero corporum resurrectione.

V. Falsum, & oblatæ à Socino, Smalcio, ceterisque fraternitati contradictorium est, quo arrogantissimus, per solum Principium, contradictionis, Apostasiæ sollicitator imputare nostris Ecclesiis est, ausus, quod in verâ contradictione ad idololatriam, & eternam usque damnationem hæreant, & adeo, si salva esse velint, contradictoriam, & summè noxiam suam sententiam, de Personarum in unâ essentiâ divinâ, Trinitate, protenus abjicere, cumq̄ue suâ Socinianorum, velut veriore & salutiferâ commutare debeant. Sc. Quodcunq̄ue verè contradictionem implicat, illud non est possibile ullo modo s. nec per divinam potentiam potest fieri, nec in scripturis proponi, atq̄ue adeo nec in ipsis scripturis est præsumendum s. admittendum, & credendum: sed velut falsum & purum putum mendacium rejiciendum. Atq̄; dogma de essentiâ divinâ numero unâ, personis autem tribus, de Corporis item Christi multipresentiâ Eucharisticâ, verè contradictionem implicat, s. omni rationi contrariatur. E, Supposito enim iudicio in contradictionibus Theologicis, non rationis: sed revelationis tribunali submittendum, limitato majoris subjecto, sc. quodcunq̄ue non apparentem vel opinativam: sed veram realemque repugnantiam & sic contradictionem involvit &c sic, concessâ majore neg minor vel, limitato sic: Quodcun-

Quodcumque *rationi exorbitanti*, & ex tali adeo *abuso* varias absurditates & contradictiones imaginanti & quod scriptura verum pronunciat, falsum & *ἀντιφατικόν* reputanti, verè *contradictorium* videtur, & adeo *apparentem* vel *imaginariam*, vel ad summum *probabilem* s. *opinativam*, contradictionem involvit &c. concessâ *minore* negatur *major* Verum in Philosophia non sit falsum in Theologiâ, neque Philosophia *idealiter*, in se s. *ratione essentia* & *νοῦν ἐνοεῖν* considerata, falsum judicat, quod Theologia *verum* pronunciat, nec exorbitatio & deliquium Philosophi sive ex magnâ *temeritate*, sive *malignitate*, sibi de supernaturalibus suumque forum transcendentibus, iudicium arrogantis, & inde hæretico (e.c. Socino, Calvino) *iudicium contradictionis* (quo se. iudicet e.c. dogma de SS. Trinitate in unâ naturâ, de omnipresensia Corporis Christi, & presentia substantiali, in S. Cœnâ, contradictionem veram implicare, ideoque falsum, absurdum & impossibile esse) suggerentis, imputanda ipsi Philosophiæ. Quia potius *exceptio* illa *contradictionis*, opposita *mysterio*, ex scripturis, quoad evidentem propositionem liquidato, debetur *infernali Draconi*, *seductori Oecumenico*. Contra Socinum l. q. 2. P. p. 28. Zvvikk. de princ. contrad. 2. Tim. 2. 13. Tit. 1. 2. Hebr. 6. 16. 18.

VI. Prout Ratio, per lapsum corrupta, & nondum per clementissimum medicum, qui venit salvare, quod perierat, sanata, perque veritatem in libertatem vindicata, non potest non in iis omnibus, quæ sibi videntur contraria, primariisque sic fidei mysteriis, Theologiæ contradicere: ita Socinianismus talem *corruptionem*, unâ cum *lapsu* Adami, & in hoc generis humani negans, non potest non cum perpetuâ petitione principii hic principium contradictionis applicare, & inverso ordine, ubi omnia illius *rationationum munimenta omnis sublimitas & subtilitas sese adversus cognitionem Dei extollens*, & mysterio revelato opponens, *destruenda & evertenda*, ipsaq; ratio & omnis ejus *cogitatio ad obediendum Christo sub obsequium fidei erat redigenda*, postulare, ut omnia *mysteria fidei*, omnis *cognitio Dei*, ipsaq; *arma militia Apostolica*, quæ non *carnalia*: sed *divinitus valida* pronuntiavit Apostolus, sese per principium contradictionis captivata, *submittant* tribunali RATIONIS, frustra habitis, tot tantisque pro cœlesti superioritate, transcendentis omnem rationis sphaeram, scripturarum, & in his divinæ potentæ & majestatis

militantibus & sententiis & admirandis documentis. Conf. 2. Cor. 10. 4. 5. 6. Gen. 17. 17. Rom. 4. 17. 18. Num. 17. 8. Jef. 7. 14. Joh. 6. 31. 1. Cor. 10. 3. 4. Joh. 20. 19. Apoc. 20. 12. 13.

VII. Sed & à *negatione repugnantie RATIONIS*, ad deferendum huic *axioma tribunalis* vel in hoc *judicis*, non magis valet consequentia, quàm sive in disciplinis sive artibus & his vel liberalibus vel mechanicis e. c. à non repugnantia Jurisprudentiæ & artis Medicæ, vel Logicæ & Rhetoricæ, vel Pictoriæ & Sutrinx, ad judicium deferendum sive Medico de Jurisprudentiâ, sive Rhetori de Logicâ, sive Sutori de Apellis tabulâ. Neque sive *λογική λατρεία* Rom. 12. 1. sive *λογικὸν ἀδελφὸν γέλα* 1. Pet. 2. 1. 2. probat *religionem naturalem*, vel totam RATIONI velut *summæ religioni* conformem: nec à *Φερόνη* illa Marci 7. 22. dicit *negationem judicii rationis in mysteriis vel Spiritualibus*: Nec sive à parabolis quibus Salvator sæpe præcipua regni cœlorum mysteria explicuit, & modo explicandi alicubi *Parabolico*, ad ipsam *doctrinam* universamque *religionem Christianam rationi conformem*, & ex hujus judicio mensurabilem & interpretabilem, & in *contradictorio*, illi accommodabilem ac in ipsâ propositionis evidentiâ per *Prosopopœiam* vel commenta rationis elidendam valet consequentia Hebr. 4. 12. Matt. 15. 9. Ephes. 5. 17 Joh. 7. 16. c. 8. 16. 18. 31. 32.

IX. Consequentiarum, non incertarum, obscurarum, vel extortarum: sed certarum, & positis hypothesibus liquidis ac vel ab ipso adversario concessis, necessariarum, USUS, frustra, contra illorum, vel confessoriorum sponte ex illis positis & concessis profluentium attributionem, protestante Adversario, in probandis etiam summis fidei mysteriis cum positivè tum destructivè validus est, & præeunte praxi Christiæ. c. Matth. 15. 4. c. 26. 31. Marc. 12. 24. 26. Luc. 24. 25. 16. 44. Joh. 5. 39. Apostolorum (Act. 10. 43. c. 15. 10, 11, 14, 15, 16. c. 17. 3. Rom. 3. 9. 20. 1. Cor. 15. 12. 13. 16. 17. & seq. Gal. 3. 15, 16, 17.) ne infensissimis quidem adversariis contra usum talium consequentiarum sive excipere, sive has negare ausis (conf. Matth. 21. 42. 43, 45. c. 22, 31, 33, 34. Joh. 5. 17. 18. c. 8, 18, 19. 57, 58, 59. c. 10. 29, 30, 31.) solidè firmatus, legitimè adhibetur, cum, prout, loquente Apostolo, *nullum mendacium est ex veritate* 1. Joh. 2. 21. ita legitimâ consequentiâ, ex præmissis veris vel antece-

antecedenti vero falsum sequi non possit. Neque saltem non extat ullum mandatum divinum de solo ῥητῶ s. γραμματικῶ in probandis dogmatibus ad salutem creditu necessariis postulando : sed nec omnia quæ velut ὁμολογούμενα ex scripturis V. T. asseruerunt Christus & Apostoli, in illis quoad ῥητῶ evidentem literam & συνημμένως extare, probari potest, & rejectis consequentiis magnus scripturarum usus rejiciendus fuerit. Quod obtenditur de rudiorum stupiditate & defectu ἀγχινοίας, ad intelligendum consequentias, immediatas, faciles, perspicuas, vanum commentum est, & in quo multiplex Parologismus. *Doctrina* quippe DOMINI, sapientiam affert imperitiis Pl. 19. 8. & mysteria regni cælorum sapientibus & intelligentibus hujus sæculi occultantur, infantibus revelantur Matth. 11, 25. ipsaque sapientia carnis velut inimicitia adversus Deum, obstaculum potius est mysteria cœlestia intelligendi, quàm medium Ier. 8, 8, 9. Prov. 30, 3. 1. Cor. 1. 17, 19, 20, 26, 27, 28. Frustra proinde Sociniani sunt postulando, *Omnes articulos fidei, dogmata omnia, vel saltem primaria omnia, totidem literis Syllabis, vocibus, expressis & sic ῥητῶ, vel γραμματικῶς ex scripturis remonstrari*, cum satis sit, ipsum materiale dogmaticum (in quo intelligendo non excludendum interpretationis officium & scripturarum scrutinium) legitimari, etsi non ubique per literalem evidentiam, tamen per materialem & realem æquivollentiam Joh. 5, 39. Act. 17, 11. 1. Cor. 14 5. 25. 27. 1. Tim. 4. 4. 12.

IX. Et ostendit se circa hoc quoque argumentum & superiora, illa jam in apparatu notata in Socinianismo velut hujus adjunctum manifesta *contradictio*. Ita: *Notitias naturales, s. homines quicquam per naturam de Deo scire*, universamque adeo *θεογνωσίαν* naturalem nunc aperte *negant*: conf. Ostorod. c. 1, Inst. p. 10. *Die Menschen wissen von Natur nichts von Gott oder der Gottheit* Catech. Racov. p. 22. 23. Socin. miscell. q. p. 68. præl. Theolog. c. 2. nunc sub titulo *recte* vel *sana rationis* vehementer commendanti &, cum Theoricè, tum Practicè nunc adæquant, nunc supra scripturam collocant. Ita inferunt: *sana ratio dicat, unius numero Essentia non esse nisi unam personam. E. id est verum & dogma de Trinitate est falsum*: quomodo Ostorod. Inst. c. 4. p. 30. *Ratio expressè probat personarum in DEO Trinitatem dari, esse falsum E. nullo modo illud est verum & verbo Dei probandum*. Contrà, veritas ipsa expressisse videbatur

videbatur Smalcio & Ostorodo illam confessionem: *Constante* contendimus in rebus divinis autoritate tantum divinam standum esse Smalc. contr. Schopp. de Tr. p. 3. *Nimis* quippe foret periculosum, rem tanti momenti, eternam salutem hominis concernentem, humana RATIONI & iudicio committere Ostorod. Inst. c. 4. p. 10. c. 29. p. 197. At mox receptui canunt: Si ratio vel intellectus expressè probat, personarum in Deo Trinitatem esse falsam, quomodo homini sano in mentem venire potest, nihilominus hoc verum esse & verbo Dei probari posse? Quod ratio apertè dicit esse falsum, nullo modo est credendum scribit idem Ostorod. Inst. c. 4. p. 30. c. 6. p. 42. Fides nunquam amplectitur impossibilia mentis, quæ ut reipsâ existant, Deus omni suâ potestate facere non potest, ait Schinberg l. alleg: idem Smalcus: Nulla, inquit, est Christiana religionis particula, quæ cum ratione non convenit & quæcum hâc non conveniat, ea in Theologiâ nullum locum habere potest. Ipsa ratio est summa religio, qui idem hom. 8. in Joh. p. 89. scribere veritus haud est: Si dogma de incarnatione Filii Dei esset caput Christiana religionis & ad salutem aeternam necessarium (i) opereretur creberrimè iteratum extare in Scripturis (Ita sc. impietas Sociniana leges numerosque ponit S. Spiritui, & tamen, ne sic quidem, si ex illis ageret S. Spiritus creditura: pergit enim Smalcus:) Sed & 2. etiamsi non semel atque iterum: sed satis crebrè & apertissimè scriptum extaret: DEUM esse HOMINEM factum, multò satius esset, quia res ista est absurda, sane RATIONI planè contraria, modum aliquem e. c. ἀπονομιὰς COMMINISCI, quo ista de DEO dici possint, quàm simpliciter ista, ut verba sonant, intelligere & ita sanctissimam Jesu Christi religionem pro turpissima, omnibus ridendam exponere. Ita sc. in mera commenta resolvitur fides Sociniana.

X. Ita nunc consequentias oppugnant e. c. Smalcus in ref. disp. Gravveri de Spiritu S. Quod tantum per consequentias ex S. literis demonstratur, ad salutem necessarium non est simpliciter: sed hoc totum in scripturis ad literam scriptum esse necesse est. vid. Smalc. contr. Schopp. de Trin. At idem Smalcus contrarium alibi pronunciat: Etiam illa, quæ ex scripturis necessario colliguntur, pro scripturis & pro ipsâ scripturâ habenda esse, nemo nescit e. c. Christum bis ascendisse in cælum, etsi nusquam legitur, tamen ex illo, quod Ioh. 6. 62. legitur, NECESSARIO COLLIGITUR. vid.

resp.

resp. ad nova monstra p. 176. contra Smiglecium de *Verbo Incarnato* p. 42. Neque aliter Ostorodus Inst. c. 4. p. 18. *Frustra*, inquit, *laborant Theologi consequentiis mysterium Trinitatis probare, quia rem causam, quam ipsi Articulum fidei fundamentalem credunt, veramque & saluiferam Dei cognitionem, non in consequentiis vel Syllogismis: sed in expresso Dei verbo fundatam esse oportet.* Contra idem in Instit. c. 10. p. 75. *Non sequitur, quamvis in scripturâ non legitur, quod Deus Christum fecit Deum, quod ideo non fecerit.* Ita injuriam interpretantur, si ex negativis judicentur, & ex his sibi cum Ario communibus Ariani appellentur, & tamen ex negativis meris e. c. Christum non esse invocandum, neccuram gerere Ecclesiæ, condemnarunt Franciscum David, *velut pluquam hæreticum & Christiani nomine indignum, etsi eidem opponunt non minùs hæreticam positionem: Christum etsi non naturâ Deum, nec adèd necessariò, vel ex precepto divino invocandum, sic ut Christianus omnis Christum invocare teneatur, tamen licetè aliquandò invocari.* Ita hîc legere licet Socinianismum *ἰσαὐθὴν ἡμωσὸν μενον.*

XI. Religio Christiana æque validis argumentis & æquè certis confirmatur non saltim ex novo: sed & ex *V. T.* velut non superstructa solum fundamento *Apostolorum: sed & Prophetarum.* Nec *Apostoli* quicquam *prædixerunt vel prædicarunt, extra jam antea à Mose & Prophetis, prædicta, prædicata & monumentis literarum consignata.* Impia ergò & hæretica vox Smalcii est. l. 1. cont. Smigl. p. 123. asserentis: *Parum curandum Christianis, quid de cultu DEI veteris federis Propbeta dicant, nec discendum esse cultum divinum hodie ex Prophetis: sed ex Evangelistis & Apostolis.* Ita & Socin: in tract. *Script.* concedit lectionem *V. T.* esse utilem: negat esse necessariam *Cat.* p. 7. *religionem Christianam in V. T. libris contineri* negat. Contrarium ex *Luc. 16. 29. 31. c. 24. 27. 32. 44. Act. 20. 20. 21. c. 26. 22. Ephes. 2. 20, Rom. 4. 1, 2. & seqq. Gal. 3. 6, 8. 10. 16. c. 4. 24. Hebr. 3. 4 5. 7. 8. c. 5. 10. II. c. 6. 13. 20. c. 7. & c. 8. c. 9. c. 10. & in primis c. XI.* Notetur autem & hic contradictio, quando idem Smalcus in præf. ref. thes. Francii: *Nos, inquit, tam V. quam N. T. scripturas urgemus. Et quomodo istas scripturas prætereamus, qua pro nobis quasi militant?*

XII. Prophetæ æquè ac Apostoli, vel ut in scribendo θεόπνευστοι, & à Spiritu S. acti, extra omne periculum non saltem falsitatis: sed & deliqui memorialis, & citra omnia adeo ἀμαρτήματα etiam μνημονεύειν scripserunt libros V. & N. T. Canonicos, quibus proinde sive comparativè gradus notitia majores & minores, unde alius alio veritatem rerum melius tenuerit, & inde diversè ab alio scripserit, sive in argumentis levioribus, ad quæ non adeo interfit, vel in rebus parvis & nullius momenti (qualia levia & nullius momenti à Socino supponuntur in scripturâ) errores, repugnantias & diversitates s. magnas, s. parvas, ἀνισογενῆς (qualem ipsi Johanni affingunt) adscribere, character est irreverentiæ hæreticæ, jam olim notatus ab Irenæo: *si quis, ait l. 3, adv. hæres. c. 1. Apostolis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem & ipsum Christum Dominum, spernit verò & Patrem, & est ἀνθευλαχέτης* s. à semetipso damnatus, resistens & repugnans sua saluti, quod faciunt omnes hæretici. Luc. 1. 3. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21. Contrâ Socin. lect. sac. p. 12. 13. Smalc. l. de vero & nat. Dei Filio c. 15. Enied. expl. dictorum V. & N. T. p. 151.

XIII. Liber Proverbiorum Salomonis revera est Canonicus, potest confirmare dogmata fidei, pertinet ad Catalogum Canonicorum & authenticorum V. T. probat infallibiliter Messie Deitatem, æternam generationem, & existentiam ante omnes creaturas Prov. II X. Contrarium ingenti deliquio assertum à Fr. David in colloquio Alba-Juliano.

XIV. Circulus contradictorius est, asserere, ad librum Canonicum N. T. requiri notitiam certi & minimè suspecti Autoris, & tamen asserere: Ut ut de quibusdam librorum N. T. Autoribus fuerit dubitatum, de libris nihilominus summum fuisse Christianorum consensum. Conf. Cat. Rac. p. 3. &

XV. Ad Canonicum librum N. T. legitimandum, nec requiritur, nec sufficit notitia certi Autoris s. scriptoris, & defectus præsumptivæ particularis hujus vel illius codicis corruptionis, licet reverà fontes in N. T. Græci & V. T. Hebræi, nec in universum, nec ex parte sint corrupti, s. depravati: sed Dei providentia, in Ecclesiâ puri servati, & adeo

adeo verè authentici. Non certitudo de *Autore*, quodque *quæ scripserit*, & *accuratè noverit*, & *bonâ fide tradiderit*, nec defectus *justæ suspicionis libri talis deinceps corrupti*, nec *Testimonium quodcumque fide dignum* propter quod huic vel illi libro credendum: sed solum *testimonium S. Spiritus*, de scripturæ libris, ac horû sensu, per scripturas *ἀποστολικῶς* testantis, est *ratio sub quâ & propter quam* credatur fide divina huic vel illi libro velut & divino & canonico. Nec ab *ignoracione* certi auctoris, ad *ignoracionem* vel *negacionem Canonica* hujus vel illius libri *autoritatis*, valet consequentia. Contra Catech. Racov. & Socin.

XVI. Quicquid ex V. T. in novo allegatur, non tantùm ut plurimum iisdem verbis: sed & semper eodem sensu (sive *literali*, sive etiam *mystico* isthic in ipsâ literâ consignificato, vel incluso) in Novo à Christo & Apostolis, neque verò saltim ad religionem Christianam *illustrandam*: sed & ad eandem ipsamque sic *fidem* e.c. de SS. Trinitate *confirmandam*, affertur & explicatur. Falsumq; adeo, quod David nihil illorum quæ scripserit, de Christo intellexerit, quodque *calia in N. T. allata alium habeant sensum in novo & non nisi exiguam quandam similitudinem cum illo in Veteri, à Davide intento*. Contra Sommer. in refut. Carol. p. 54. 55. Smalc. in præf. refut. Francii Conf. Ps. 2. 7. Act. 13. 33. Hebr. c. 1. 5. c. 5. 5. Chabac. 2. 4. Rom. 1. 17. Hebr. 10. 38. Gen. 14. 18. Hebr. c. 7. per totum. Gen. 15. 6. Rom. 4. 2. Gen. 22. 18. Galat. 3. 15. 16. Gen. 47. 31. Hebr. 11. 21. Exod. 12. 46. Joh. 19. 36. Sach. 12. 10, Joh. 19. 37. Jes. 42. 1. 2. Matth. 12. 18. Jon. 2. 1. Matth. 12. 30. Jes. 53. 4. Matth. 8. 17. 1. Pet. 2. 24. Ps. 45. 7. 8. Ps. 97. 7. 102. 26. 27. Hebr. 1. 6. 8. 9. 10. 13.

XVII. Promissiones spirituales de *Redemptione peccatorum*, per *Messiam*, de *Spiritu S. de vitâ eternâ*, & *Patribus sub veteri federe* sunt factæ, & salvo alicubi major gradu claritudinis continentur æquè in libris V. T. ac Novi. Contrarium hæreticè pronunciatum à *Socinianis*, solas *corporalium beneficiorum promissiones*, & temporales *remuneraciones* in V. T. agnoscentibus, *Spirituales* autem & illas præcipuè *tres*, ipsamque sic *vitam eternam* & S. Spiritum, sanctis credentibus vi federis actu promissas pernegantibus. Conf. de 1. Ostorod. Inst. c. 5. & c. 21. de 2. Smalc. l. de div. Christi c. 8. p. 34. 35. de 3. idem ibidem c. 7. p. 27. & disp. 4. contra

Franz. ubi: *Vitam aeternam*, inquit, *negamus unquam alicui promissam fuisse*. Conf. Gen. 3. 15. c. 15. 6. Rom. 4. 3. 6. 7. 23. Gen. 17. 7. Heb. 11. 16. Gen. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14. Galat. 3. 9. 14, 16, 17. Joh. 8, 56. Job. 17. 14. 15. c. 19. 25. 26. 27. 28. Hebr. 11. 4. 5. 6. 7. 10. 16. 29. Pl. 51. 13. Hag. 2. 5.

XIIX. Ex scripturis, velut *regulâ fidei & vitæ* perfecta, & *testimonio divino* absolutissimo, in *credendis & agendis*, ipsisque sic fidei Articulis non solum argumentamur affirmativè: sed & negativè, & adeo à silentio scripturæ *de tempore*, quo Filius Dei *cooperit existere*, ad existentia & subsistentiæ temporalis negationem, & *aeternitatis* assertionem, rectè & validè infertur, contra Socinianos, prout à negatâ mentione *sacrificiationis Christi* in 1. cœnâ, ad negationem *sacrificiationis* talis, contra Papistas, Socinianorum hîc Syncretistas. Conf. Smalc. Disp. 1. cont. Francium p. 12. Deut. 12. 32. Jos. 1. 7. 8. Gal. 3. 15. Il. 30. 1. 2. Jer. 23. 2.

XIX. Nec medius terminus, quo Catechismus Racoviensis probat *scripturam esse perfectam*, sc. à *fide in Dominum Jesum Christum & obedientiâ mandatorum ejus*, in *scripturis N. T. sufficientissimè traditâ*, rectè habet, nec inde ad perfectionem regulæ Propheticae & Apostolicae valeret illatio. cont. Ostorod. Inst. c. 2. p. 20. Socin. l. de serv. p. 4. c. 11.

XX. A possibili, sine *internâ illuminatione S. Spiritus*, qualicunq; intelligentia literæ, ad veram solidamqve intelligentiam scripturæ, totiusqve Theologiæ, & multò magis *ad fidei & obedientiæ*, in homine operationem, velut æqvè sine illâ illuminatione possibilem, non V. C. licet illuminatio illa non sit à *Lumine quodam subjecti*, scripturæ *adventitio* forinsecus, eandemqve in usu e. c. conversionis actu & effectuum supernaturalium respectu, sive *antevertente*, sive illi superveniente: sed ab ipsâ inditâ & sic intrinsecâ verbo, divinâ efficacia & virtute. Cont. Ostorod. c. 1. Inst. Luc. 24, 32. 2. Pet. 1, 19, 21. Matth. 10. 20. Hebr. 4, 12. Rom. 1. 16.

XXI. Paralogismus *Ignorantia Elenchi* committitur, quando ab illâ *difficultate intelligendi* vel assentum accommodandi (quam *objectivè* facit *mysteriorum sublimitas*, *subjectivè* ingenii humani *incapacitas*, & aliquando malignitas) & illuminationis adeo S. Spiritus ad *internam & spiritualem intelligentiam* necessitate, infertur ad *obscuritatem scripture*, quam licet *perspicuam* asserat aliquando Socinianismus & Catech. Ra-

cor. tamen nec ex locis genuinis e. c. Ps. 19, 9. Ps. 119. 105. 2. Pet. 1, 19. Deut. 30, 11. sed per remotiores & domiceteroqvi generaliter improbatas (vid. supra Th. 8.) & specialiter improbandas consequentias (e. c. *Apostoli suas Epistolas inscripserunt hominibus simplicioribus. E. scripturae sunt perspicuae, & unicuique etiam cum vel ante Spiritus S. illuminationem intelligibiles*) imò apertè hæreticas (e. c. inferendo à negatione lapsus, & per hunc corrupti humani intellectus, ad omnimodam scripturarum perspicuitatis assertionem & sic illuminationis illius Spiritus S. velut necessariae ad fructuosam scripturarum intelligentiam, exclusionem. Cont. Catech. Racov. Ostorod. in Institut. conf. 1. Cor. 2. 14. 2. Pet. 3. 16.

XXII. Prout *Contradictio* Socinianorum, jam supra in hoc articulo est notata: ita in propioribus quoque his est luculeata: quomodo illuminationem S. Spiritus velut necessariam ad Scripturarum, intelligentiam, nunc syllogismo hæretico excludit Ostorodus, nunc & ipse includit, imprimis in intelligentiâ Prophetiarum & ipsius Apocalyplicæ c. 40, p. 371. & Catech. Racov. art. de script. non sine ostentamento sanctitatis: Die grosse Uneinigkeit vom verstand der Schrift kommt unter andern daher / daß die Menschen nach der Gabe des Heil. Geistes / die Gott denen / die ihm Tag und Nacht darumb bitten / verzeihen / nicht trachten. conf. quoque Soc. in solut. scrup. resp. ad 19. p. 45. & in def. animadv. p. 30. Ita probando *certitudinem librorum V. T. ex veritate librorum N. T. hanc, ex veritate religionis Christianæ, hanc ex miraculis, miraculorum veritatem, ex resurrectione à mortuis, hanc autem sive ex scripturâ, sive ex meris probabilitatibus, est sive Circulo ludere* s. (quandoquidem ex alterutrâ vel utraqve præmissarum probabili, non potest non conclusio saltem probabilis inferri) scripturarum & religionis Christianæ fidem in meram probabilitatem resolvere. Conf. Catech. Racov. 1. Cor. 15, 4. Luc. 18, 32.

XXIII. Ita libros V. & N. T. nunc ex æquo Canonice & ad confirmandum validos urgent, ac aliquando illos magis præ his, quomodo Smalc. in præf. ref. thes. Franz. Nos, inquit, *eam V. quam N. T. scripturas urgemus, & Ostorodus. Inst. I alleg. Wie halten dafür / das kein ander fundament der göttlichen heilsamen Wissenschaft sey / als die Bücher altes und neuen Testaments/*

ments / so Canonici genennet werden / & de illis indifferenter pronun-
ciatur, man soll auff keine weise zu geben / daß die Heil. Schrift nicht
das eigentliche und warhafftige Wort Gottes sey. Contrarium alibi illos
asserere, ex *Catech. Rac. & Socin. notatum* jam supra *thes. 11.* Ita *certitudinem*
Scripturæ N. T. & *infallibilitatem* nunc lubricè deducunt, nunc ad sola
maxima vel præcipua fidei capita restringunt: in *parvis* artem *repugnantias*
admittunt e. c. Act. 9. 7. c. 22, 9. (conf. supr. th. 12.) Nunc agnoscunt, *du-*
bium de loco saltem uno, virtualiter inducere dubium de libris omnibus. Socin. in
miscell. p. 265, 266. Ita Epistolam Jacobi nunc ab Antilogiâ Paulinâ, con-
tra censuram Lutheri vindicant, nunc eandem, velut ob alias causas su-
spectiorem accusant Socin. lect. sacr. p. 20. Ita, *illud* ex Pl. 16. 9. 10. 11.
agere de Davide, illud 2. Sam. 7. 14. de Salomone, quæ tamen ad Christum
applicentur *verè & propriè* Act. 2, 25, 26. c. 13. 36. Ita locum Deut. 18, 18.
non intelligendum quidem de *Propheta singulari & numero uno s. solo*
Jesu Christo: Verùm nullam talem singularem Prophetam post Moysen existi-
se præter Jesum Nazarenum, & hunc ipsum esse verum & genuinum loci illius
sensum, rectè ab Apostolis Act. 3, 22, 23 & Stephano Act. 7. 37. intellectum.
Ita puerum illum de quo agatur Jel. 7, 14. 15, 16. esse quidem Filium Isaia,
collato c. 8, 3. & locum illum reverà ad tempora Prophetæ pertinere, ex
ipsâ tamen proprietate verborum, totiusq. loci ac sententiæ apparere, præ-
cipuè & potissimum de JESU Nazareno intelligendum esse, & rursus: Ad
tempora Messie nonnisi adumbrativè illam historiam referendam, ita ut libe-
ratio ista, quam Achasus cum suis expectabat, adumbraverit liberationem
futuram per conceptionem & ortum Jesu Nazareni, Socin. l. alleg.

XXIV. Scriptura non tantùm est norma Credendorum, ad salu-
tem necessariorum (quæ inter etiam est dogma: Deum esse spiritum: item,
nosse, quis sit unicus ille Deus, præter quem non est alius) sed etiam illorum
quæ sunt circa fidem, item historicorum & similium, usque adeo, ut
non saltem in illis, quæ de fide sunt & ad salutem necessaria: sed & in il-
lis, quæ salutem directè & per se non concernunt, non solum, si nega-
tio horum, fundamentum salutis evertat: sed etiam, ubi extra tale pe-
riculum, decisio divina luculenta in scripturis extat, nec opinandi li-
bertati, nec reservatiõni mentali locus sit. Quicquid sc. Deus in
verbo suo decidit, definit, sive ad salutem necessarium sive non, circa
illud

illud *opinionibus variare*, nemini integrum, vel ab ipsâ *libertate Christianâ* est permiffum, Cont. Smalc. Disput. posteriore 4. cont. Franc. p. 382. Catech. Racov. p. 10. 16. Ostorod. Inst. c. 3. p. 28. Gal. 5, 2. Matth. 20, 22. Act. 1. 7.

ARTICULUS II. DE DEO TRINUNO.

I.

A *Principio cognoscendi*, rectâ procedimus ad religionem Christianam *Constituendi*, s. *ESSENDI*, prout vocatur, *Principium*, quod non est nisi *solus ac unus Deus*: licet autem *Onomatologia* de DEO simul sit *Pragmatologia*, nec detur notitia *revelata nominalis*, quæ non simul sit *realis*, juxta illud Davidicum: *Sicut est NOMEN TUUM ô Deus! ita est laus tua usque ad extremitates terra!* quia tamen ipsis Nominibus quoque Divinis peculiare bellum movet *Matæologia Sociniana*, & in his per varias *prothefes*, vel *prolepses*, ad oppugnandam inde religionis arcem, nidulatur, de illis initio agendum fuerit. Marci XII, 24. Pl. 48. II.

II. Nomen gloriosum & καὶ ἕξοχον appellatum Tetragrammatum sc. יהוה, sive cum, sive sine apposito nomine יהוה (quod designat αὐτοπροσώπον) *essentiale* s. *æterna essentia*, ipsiusque sic *æterni & veri essentia Dei*, qui est τὸ Α καὶ Ω, & in quo omnes ἐπαγγελίαι, s. *promissione* sunt τὸ καὶ καὶ Ω Ἀμήν, propriissimum, & adeo in quo, cunque positu *denominationis*, sive *incomplexæ*, sive *complexæ* (qualis non est Jud. 6. 24. ubi nomen יהוה est denominantis, PAX autem denominati altaris: sed e. c. Gen. 22, 14. Exod. 17, 15. Jer. 23. 6. c. 33. 16. in quo utroque loco, si ἐκ πειρασίας daretur Socinianis, totum illud יהוה צרקנו, habitâ ratione affixorum, ibi masculini, hîc feminini, in priori referendum ad *Isaëlem*: in posteriori ad *Jerusalem*, tamen ipsum nomen יהוה in tali complexu stans, revera esset *Messia* s. *Christi veri Dei*: conf. ibid. 5. hîc. 15.) solius veri *Dei Creatoris* independentis, nullius *creatura* nomen est. Cont. Socin, advers. Wick. c. 6.

p. 396.

p. 396 Enjed. in Genes. c. 17. 13. p. 25. Ostorod. cont. Tradel. part. 2. c. 2 p. 91 Volkeliium, quidum ex locis superioribus duplicis erroris subnatam occasionem asserit, ut sc. alii ex distantia istarum rerum à summo DEO concluserint, nomen illud non esse summi Dei proprium, alii contrarium statuendo, eò delapsi sint, ut eum qui non est summus Deus, Deum esse crederent, quia hoc nomen ei tribuatur (l. de ver. rel. p. 83.) contradictoriè pronunciauit: Si enim errarunt, qui concluserunt, nomen hoc non esse summi Dei proprium. E. non errarunt, qui, cui hoc nomen אלהים in scripturis attributum legerunt, illum, pro vero naturâ & sic summo DEO habuerunt. Vanumque Socinianorum Judaizantium commentum est, quod de Angelis representantibus majestatem Dei invisibilis, & tunc in tali legatione, æquè nomen gloriosum ac ceteros characteres, Dei legantis, cujus nomine loquantur, assumptibus, habet Volkelius l. de ver. r. p. 79. 80 quod & perpetuâ petitione principii probare conatur per exemplum Gen. 18. 3. 13. 14. 17. 20. 22. Exod. 3. 2. 4. 7. 15. Exod. 20. 2. & c. 23. 20. 21. (conf. Act. 7. 35.) Gal. 3. 19. pravè supponendo, in illis locis non agi de Angelo federis Mediatore: sed creaturâ Angelicâ, vel Angelo eidem sic dicto, uno ex ordine illorum Act. 7. 53. Nec minùs vana ratio: Angelos in tali legatione quodvis Dei nomen & ipsos sibi tribuere, & ab aliis sibi tribui permittere, ut tantò plus autoritatis habeat & res & oratio & in Auditorum animos tantò altius descendat. Angelos ita impostam sibi à Deo personam sustinere, ut autoritatem Dei simul habeant: prout & circularis occupatio, quâ contra objectionem de Legatis Cesarum, vel Regum, qui non sive in l. personâ se appellant, sive se appellari permittant nomine suorum Principalium: Legatis, inquit, Principum, illam vel assumenda persona, vel loquendi formam non competere (quia minùs gravitatis & gratia habitura talis oratio esset) At aliam esse rationem Dei invisibilis & nunquam videndi: vid. ibidem, nec minùs petitio principii & Paralogismus consequentis: Si talis Angelus proprio nomine est locutus. E. Angelus dici non potuit. Unde in regulâ Volkeli: Nomen אלהים ob excellens divinâ excellentiam, significatione Dei evasit proprium, nec nisi uni summo Deo tribuitur, vel representantibus ipsum Angelis, Apocopâ opus, quâ tollatur clausula de representantibus Angelis. scilicet: Quodcunque nomen & essentialia divinum est, & in scripturis soli & uni Deo, ita omnibus modis ap-

dis appropriatur, ut per illud distingvatur ab omnibus creaturis, id est nomen verè & unice divinum. Nomen יהוה &c. E. Conf. Exod. 3. 15. c. 15. 3. c. 6. 3. Jel. 42. 8. Jer. 10. 6. 10. 11. Apoc. 1. 8.

III. Prout יהוה, vel quod ex eadem radice est, יהי proprium & essentialia Dei nomen est: ita & אֲדֹנָי s. Adonai per kamez sub ultimâ punctatum, quin & אֲדֹנָי cum articulo, ut sit אֲדֹנָי & אֲדֹנָי (& hoc quidem extra, sive appositum, sive affixum deminuens, Dan. 11. 38. 39. Chab. 1. 11.) semper verè & independentis universæ creaturæ Conditoris s. fundatoris, & omnipotentis sustentatoris ac conservatoris *ἀντοκρατορικός*, nomen est. Atque prout illa nomina Deum ab essentiâ, & essentiali majestate denominant: ita nomen אֲדֹנָי plurale, in illâ propriâ & primariâ suppositione de *vero Deo*, ipsum denominat, à *personarum*, in unâ illâ essentiâ Trinitate, cujus licet pro ratione positus & contradistinctionis, non semper sit expressivum, semper tamen ad illam pluralitatem personarum est respectivum, & propterea de vero illo Deo non tantum cum *verbo* s. *prædicato singulari*: sed & cum *prædicato plurali* (quando ex perpetuo linguæ sanctæ Idiotismo semper significatur vera personarum pluralitas) constructivum, unde illa Dei ab essentiâ & Personis descriptio, & familiaris duorum nominum conjunctio, ut dicatur יהוה אֲדֹנָי. Contra Socin. Conf. Gen. 18. 2, Exod. 4. 10. 13. 14. Pl. 18. 32. Jel. 44. 8. Exod. 23. 17. c. 34. 23. Jel. 1. 24. c. 3. 1. c. 10. 16. 33. c. 19. 4. Mal. 3. 1. Gen. 35. 7. 2. Sam. 7. 23. Deut. 6. 4. Gen. 1. 26. 27. c. 2. 4.

IV. Licet אֲדֹנָי in suppositione secundariâ transferatur quoque in usu Biblico ad *Angelos in cælis* (quomodo qui in V. T. appellantur aliquando אֲדֹנָי, in N. T. nominantur *ἄγγελοι θεῶν*, vel *ἄγγελοι*) & Magistratus s. Judices in terris, (quos & scriptura V. & N. T. אֲדֹנָי & *θεῶς* appellat) quin & ad ipsos Deos alienos & Idola (quatenus ex mente Idololatrarum gentilium illi præsumebantur revera esse אֲדֹנָי s. verus ille Deus & tali enthymemate sub *veri Dei* nomine colebantur) in suppositione tamen sacrâ primariâ, & illud & vocabulum *θεῶν* in *singulari* (à *Diis* enim s. voce *θεῶν* in plurali ad parem rationem Dei vel *θεῶν* in singulari non V. C.) non est sive solius *potestatis, dignitatis, & excellentiæ officialis*: sed & ipsius naturæ & essentiæ, nec adco solius

D

θεῶν

Θεότης ὁ f. divinitatis : sed & Θεότης ὁ f. Deitatis nomen, ut adeo à tali appellatione Θεοῦ, sive cum sive sine articulo, ad veram & naturalem Deitatem, vel unum illum ἀνίσθεον f. supremum independentem, æternum, & naturâ Deum valeat illatio, & qui sic appellatur ὁ θεός vel θεός, non tantùm ἐξουσία : sed & οὐσία verus & unus ille Deus est, extra quem non est Deus alius. Cont. Soc. advers. Vol. p. 189. ad versus Wick. c. 6. class. 4. arg. 1. p. 3. 79. Enjed. in Joh. 1. p. 159. Smalc. ref. 100. err. p. 5. Conf. Pl. 86. Pl. 97. 7. Hebr. 1. 6 c. 2, 7, 9. Exod. 21. 6. c. 22, 28. Pl. 82. 1. 6. Joh. 10. 34. 35. 1. Cor. 8. 5. 6. 7. Apoc. 17. 14. c. 19. 16. 2. Cor. 11. 31. Rom. 9. 5. 1. Tim. 3. 16. 1. Joh. 5. 20. Jud. 4. Luc. 1. 68. 70. (2. Pet. 1. 21. 2. Tim. 3. 16.) Act. 5. 3. 4. 1. Cor. 3. 16. conf. qvov; Jel. 45. 22. 24. 25. Act. 4. 10. 12.

V. Insidiosa planèqve hæretica & hæreseos de negatâ naturali Christi Deitate & S. S. divina personalitate, inductiva vehicula, & dolosæ falsæqve hypotheses sunt, illa Socinianorum lemmata vel postulata, de suppositione *nominum divinorum* pro vario suo positu e. c. 1. Quoties nomen Dei *subjectivè* usurpatur (quod sit, non tantùm, ubi est subjectum : sed & ubi in prædicato positum, hujus est *Synkategorematicum*) toties eam substantiam significat aut personam, quæ revera Deus est, & de solo Christi Patre intelligitur. 2. Cum prædicati locum obtinet, & articulum in Græco præfixum habet, omnique restrictione caret, solum Patrem & verum Deum designat. 3. Θεός ubi subjectum, est Deus verus: ubi prædicatum, Deus nuncupativus. 4. Θεός cum articulo Deus verus est: sine articulo nuncupativus. 5. Θεός cum articulo, si addatur restrictio, quæ articuli istius vim infringat, non notat summum Deum. 6. Nomen Θεός f. DEI in prædicato locum obtinens, supremam Deitatem non notat, nisi ex accidenti. 7. Cum Vocandi quis calu Deus appellatur, etiam cum articulo, ut sit ὁ Θεός, tamen summam Deitatem non notat. 8. Vox κύριος ὁ quando unum verum Deum designat, semper est sine articulo : quando Deum nuncupativum, vel Deum subordinatum f. Christum, semper cum articulo ponitur. 9. Licet Christus sit verus & nequaquam imaginarius Deus, Deique naturalis Filius, tamen in totâ Scripturâ nusquam dicitur Deus subjectivè cum articulo, & adeo non est naturâ divinâ: sed solâ officiali excellentiâ Deus. 10. Christus, quia nusquam appellatur κύριος ὁ sine articulo : sed semper cum.

cum articulo, proinde non est ipse $\kappa\upsilon\iota\iota$ s. Dominus supremus: sed illi supremo subordinatus. 11. $\Delta\iota\alpha$ non est causa primæ: sed mediæ vel organicæ. 12. Articuli non iteratio non probat personæ unitatem: sed diversarum personarum conjunctionem. Contrarium videatur quoad Reg. 1. posterius membrum Act. 20, 28. 1. Tim. 3. 16. Tit. 2. 13. quoad 2. 1. Joh. 5. 20. Rom. 9. 5. quoad 3. Matth. 22. 32. Joh. 8, 54. Joh. 17. 3. Act. 7. 32. 1. Cor. 8. 6. 2. Cor. 5, 5. Hebr. 11, 16. Joh. 1, 1. quoad 4. conf. Marci 12. 32. Joh. 1, 6, 11. 13. c. 8. 54. Rom. 9, 5. Ephes. 1, 1. 2. c. 4. 6. 1. Cor. 1. 1, 3. Philipp. 1, 21. quoad 5. extra restrictionem deminutivam & $\alpha\nu\tau\phi\alpha\lambda\iota\kappa\eta\nu$, qualis illa Philip. 3, 19. petitur principium, quoad 6. petitio pariter principii propter locum Joh. 1, 1. conf. n. 3. quoad 7. Ficta pariter regula propter confessionem Thomæ, in quâ $\delta\mu\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\varsigma$ Christo nomen Dei tribuitur cum articulo Joh. 20, 28. conf. autem Matth. 27. 46. quoad 8. Matth. 1. 22. c. 7. 21. c. 8. 25. c. 10. 22. Luc. 6. 47. Marci 12. 29. Luc. 20-42. Jud. v. 4. 5. Quoad 9. 1. Tim. 3. 16. (ubi subjectum est, non, *Mysterium*: sed DEVS, prout constanter Græci. Syro & Vulgato omittentibus vocem $\theta\epsilon\omicron\varsigma$, & ad *mysterium*, velut *subjectum* Logicum, prædicatû referentibus opponitur Arabs, Chrysof. & Theophyl. Compl. Regia & editio Steph. ex 16. vetust. Mscriptis Regiis Parisiis expressa & ex adversariis Fr. David in Coll.) Tit. 2. 13. 1. Joh. 5, 20 quoad 10. Matth. 8. 2. 6. 8. 21, 25, 28. c. 15. 22. 25. 27. c. 17. 15. Luc. 2. 11. c. 20. 44. c. 23. 42. Rom. 1. 7. c. 10. 9. 1. Cor. 1. 3. 9. 2. Cor. 1. 2. c. 4. 5, 10. Ephes. 1. 2. c. 4. 5. Phil. 1. 2. c. 2. 11. c. 3. 20. Col. 1. 2, 3. 1. Thess. 1. 1. 2. Thess. 1. 2, 12. Jac. 1. 1. 2. Joh. 3. Jud. 4. 14. Apoc. 17. 14. c. 19. 16. c. 22. 20. quoad 11. 1. Cor. 1. 9. 2. Cor. 1. 1. c. 8. 5. Gal. 1, 15. Hebr. 2. 10. c. 7. 21. Act. 18. 27. Rom. 15. 32. quoad 12. 1. Cor. 15. 24. 2. Cor. 1. 3. Galat. 1. 4. Tit. 2. 13. Cont. Volkcl. I. de ver. rel. Soc. cont. Wick. c. 6. class. 4. p. 383. 395. Enjed. in Joh. Smalc. & alios.

VI. Majestas summi Dei non est in unâ solâ personâ: sed unâ numero essentiâ, à quâ unâ sola, prout non valet illatio ad unam solam personam: ita nec à personarum pluralitate, ad pluralitatem naturæ essentialis divinæ, neq; siue repugnantia sunt, essentialis divinæ simplicitas & personarum Trinitas, siue per personarum Trinitatem obscuratur essentialis divinæ veritas, nec, quæ in hac fundatur, unius summi Dei majestas. Contra eisdem Exod. 3. 14. 15. Joh. 10. 30. Jer. 23. 24. Jac. 1. 17. Apoc. 1. 4. 8.

VII. Hypotheses, ubi ab ente creato ad Increatum, à finito ad infinitum afferuntur, & mysterio huic opponuntur, erroneæ sunt c. c. (1) Ubi una numero natura, ibi una saltem persona: & contra (2.) Ubi 3. personæ, ibi tres numerice dantur essentia s. naturæ & naturales energie. (3.) Ubi dantur unum & tria, ibi dantur quatuor. In Deo &c. 1. enim & 2. non valet de essentia s. naturâ, & personis infinitis, de quarum perfectione est, ut una singularis natura possit tribus personis esse communis, & tres personæ subsistere in unâ numero naturâ vel essentiâ. Tertium valet de uno & tribus, qui non sunt illud unum per quandam identificationem: sed realiter ab illo uno distincti. Contra eosdem, Deut. 6, 4. Joh. 10, 30. Matth. 28. 19. 1. Joh. 5 7. 1. Cor. 2. 13. Coloss. 2. 4. 8. 1. Tim. 6. 20.

VIII. Deum ita esse unum essentiâ, ut credantur in Deo Idiomata non *ἑνωσιώδη*: sed *ὁμοιώδη*, & adeo quæ sint ipsa divina essentia, necessariò credendum est singulis salvandis, etsi non per modum distinctæ apprehensionis, tamen per modum non opponendæ negationis s. contradictionis. Joh. 4. 22. Act. 7. 13. Gal. 5. 9.

IX. Solus Deus absolute indefinibilis (Exod. 33. 20. 23.) totus spiritus, & quia primus & summus, simplicissimus est, & nullâ sive Physicâ sive Metaphysicâ, sive Logicâ compositione compositus (Joh. 4. 24. Apoc. 1. 8.) æternus (sicut illius æternitas non solam dicat carentiam principii & finis: sed etiam durationem indivisibilem, absque successione totam simul, in quâ non sit prius & posterius, qualis æternitas Dei, ab existentia ante creaturam omnem, mundumque conditum, rectè probatur ex Ps. 90. 1. 2. & seqq. Prov. 8. 22. 24. 25. Ps. 102. 26, 27.) neque saltem virtualiter & operative: sed ipsâ essentiâ omnipræsens, & immensus (privativè & negativè Ps. 139. 7. Il. 66. 1. Jer. 23. 24. 1. Reg. 8. 27. Act. 17. 27.) Omnipotens (sic ut non tantum possit omnia, quæ vult & facit: sed & quæ ordinariè, & citra miraculum, non vult nec facit Ps. 115. 2. 3. Matth. 3. 9.) Benignus & misericors (Exod. 34. 6. 7. Ps. 103. 5. 6.) Jusus (essentialiter, & sic ut ejus justitia obstat simplici condonationi peccati, citra punitionem sive in Peccatore sive in Mediatore Exod. 34. 6. Deut. 32. 4. 22 Hebr. 10. 26. 27. 29. c. 12. 29. 2 Pet. 2. 4. 9. Habac. 1. 13 ut adeo nec attributû justitiæ sit opponendum misericordiæ, nec hæc illi) Omniscius (respectu omnium, etiâ futurorû contingentium vel contingibilium s. bonorum

rum

sum sive maloum, anteqvam sive fiant, sive, extra decretum impediendi si fuisset, futura erant, Conf. 1. Reg. 8. 29. Act. 2. 25. c. 15. 18. Joh. 21. 17. Hebr. 4. 13. Deut. 31. 16. Exod. 13. 17. cont. Ostrod. Instit. c. 3. Smalc. cont. Franc. disp. 1. Socin. in def. animadv. & in prælect. c. 2. 8. 9. de Christo Serv. c. 1. p. 2.

X. Ille unus & solus naturâ vel essentiâ Deus, non est solus Pater Domini nostri Jesu Christi: sed & æterni Patris, æternus Filius, & Sanctus Spiritus, qui licet non sit Pater, nec Filius (prout Filius non est Pater) sed æternus æterni Patris & Filii Spiritus, tamen Pater & Filius & Spiritus S. & singulæ personæ, sunt ille unus numero Deus, præter quem non est alius. Cont. Socin. communiter vid. Joh. Crellius l. de uno Deo Patre Conf. Deut. 6. 4. Matth. 28. 19. Prov. 30. 4. Il. c. 43 3. 7. 11. 13. 14. 25. c. 48. 11. 12. 16. c. 63. 7. 9. 10. 1. Joh. 5. 7.

XI. Licet *καθόλου* inter nos & Socinianos non sit 1. An Pater, Filius & Spiritus S. revera dentur? non 2. An Pater Filius & Spiritus S. verè à se invicem distinguantur, ita ut Pater non sit Filius, & Spiritus S. non sit Pater, non Filius? non 3. An Pater Filius & S. S. verè sint unum? non 4. An Deus essentiâ s. numero sit unus? non 5. An Pater & Filius sint duæ distinctæ personæ? non 6. An Pater, Filius, & Spiritus S. verè Tres sint & dicantur? non 7. An Pater, Filius & Spiritus S. differant numero essentiali, ita ut alia sit essentia Patris, alia (præter humanam) Filii, alia Spiritus Sancti? non 8. An Filius quodammodo verè dici possit & sit Deus? non 9. An Spiritus S. sit in Deo & dici possit Deus? non 10. An necessariò (necessitate consequentis) dicendum sit: Patrem, Filium & Spiritum S. esse Trinitatem? item Patrem, Filium, & Spiritum S. esse tres hypostases, *πρόσωπα*, personas, in unâ essentiâ subsistentes, vel unam numero essentiam subsistere in tribus hypostasibus s. personis? (circa 9. priora enim capita nudè sic proposita generalis quidam inter Catholicos & Socinianos datur consensus: circa 10. autem, propter terminos Ecclesiasticos, & formulas, quæ, salvâ re, sunt *θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν* s. juris Ecclesiastici, non datur absoluta: sed ab ipsis ferè adversariis alicubi inducta usus illorum necessitas, ut adeo Confessio Catholica expediri possit, si ad quæstionem: An non solùm Pater sit verus ille Deus: sed & Filius, & Spiritus S. etsi Filius Patris est Filius, & sic nequaquam Pater, & Spiritus S. Patris & Filii Spiritus, & sic nequaquam Pater vel Filius, ac nihilominus, Filius & Spiritus S. sint non minùs verè

proprieq; unà cum Patre, unus ille Πατήρ s. verus naturâ Deus, præter quem non est alius, utut, postquam fide Catholicâ ex scripturis constat, Patrem Filium & Spiritum S. ita tres esse, ut sint oppositis relationibus, & proprietatibus hypostaticis (e. c. quod Filius sit Patris Filius, & Spiritus S. Patris & Filii Spiritus, idque per æternam quandam & naturalem emanationem, quæ in Filio exprimitur per *Generari*, in Spiritu S. per *τὸ procedere*) distinctæ personæ, & nihilominus cùm singulæ illæ distinctè, tum tres communiter consideratæ dicantur *verus & unus Deus*, & sic *tres unum*, cum præterea ex scripturis & consensu etiam adversariorum sit liquidum, verum illum Deum, non esse nisi *essentiâ* s. *naturâ*, vel, quod idem est, *numero essentiali*, *unum*: quin & in scripturâ, cùm in hoc ipso mysterio explicando, expressè memorentur *οἱ Ἴησοῦς*, s. *Tres*, & *Deus* se nominet Εἰς ἃ ἰ. ε. ὁ ὢν vocabulum item hypostaseos, de Patris personâ prædicatum, (cujus hypostaseos character sit Filius) ac terminus, *DEI naturâ* (qualis *naturalis Deus* de Diis vel *idolis gentium* negatur: de solo vero Deo affirmatur) & adeo *Naturæ* divinæ, & θεοῦ τῆς οὐσίας , sit ἕν ἑστίν : & extra illud, suppositio ἡ ἐσοῦσα de personâ familiaris scripturæ, impius, & de hæresi suspectus meritò habetur, quisquis sive *confessionem SS Trinitatis*, sive *trium personarum* (quocunq;ve, sive ἡ ἐσοῦσα sive ὁπερ ἐστίν exprimauntur Græcè vocabulo) in unâ *essentiâ* divinâ *subsistentium*, sive (quod propter summam *singularitatem* & *infinitatem* *essentiæ* non minùs ac *personarum singularum*, in hoc mysterio, perinde est) *essentiæ unius existentis in 3. distinctis personis*, & adeo *trium distinctarum*, etsi non *essentialiter*, tamen *realiter*, *personarum unius & ejusdem essentiæ divinæ* laceßere vel traducere ausus fuerit, quisquis autem ipsum personarum *Trinitatis*, in *essentiali unitate* mysterium, & adeo, cum terminis, rem ipsam, *monstruosum & vanissimum hominum commentum*, *confictum*, *absurdissimum*, *falsissimum*, *exsibilandum*, *nugamentum*, *Antichristi figmentum*, cum *Socino*, *Smalcio*, ceterisque Socinianorum Hyperaspistis, proclamare, ad extremam *blasphemie* lineam pervenisse, & in infidelium, $\text{τῶν ἀνὴλεξάνων καὶ βλασφημούνων}$ extremâ classe collocandus ac Anathemate *Schammata* (quod contractum ex ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΚΑΤΑ i. e. *DOMINUS VENIT*, ab Apostolo exprimitur per *Maranata* s. ΚΑΤΑ ΤΟΝ i. e. *DOMINUS noster venit*) notandus, ex *1. Cor. 16. 22. 2. Theß. 1. 9. 10.* meritò

conferatur. cont. Smalc. præf. ref. thes. Franc. & disp. de Trin. hom. 8. in Joh. Socin. l. 9. 2. Pol. p. 40. Zvvikk in Tr. s. compelle. Conf. Joh. 3. 16. 17. Joh. 15. 26. c. 16. 5. 8. Jes. 45. 5. 21. 23. 24. 1. Joh. 5. 7. Hebr. 1. 3 Gal. 4. 8. 2. Pet. 1. 4. Exod. 3. 14. 15. Apoc. 1. 8. Rom. 1. 20. 2. Cor. 1. 11. Gal. 2. 6. Jud. 6. Matth. 28. 19. Deut. 6. 4. Act. 13. 45.

XII. Vocabulum Trinitatis, utut respectu formalis abstracti $\alpha\gamma\alpha\varphi\epsilon\nu$, tamè respectu formalis concreti & materialis significati $\epsilon\gamma\gamma\omega\alpha\varphi\omicron\nu$ formaliter non dicit essentia unitatem: sed in supposita jam unitate, Personarum Trinitatem, neq; alius ejus usus est in Symbolo, ab Augustino in enarr. Ps. 20. sub Athanasii nomine allegato, quem, cum unà cum Symbolo, totus Oriens & Occidens veneretur, adeo ut Eusebio Pamphili & Nazianzeno appellatus ille, $\delta\ \text{I}\omega\upsilon\ \text{A}\nu\theta\alpha\chi\epsilon\ \varphi\omicron\nu\epsilon\nu\iota\eta\varsigma$, $\delta\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\kappa\kappa\lambda\eta\sigma\iota\alpha\varsigma\ \text{A}\gamma\gamma\iota\lambda\omicron\upsilon$, $\mu\epsilon\gamma\acute{\alpha}\lambda\eta\ \sigma\alpha\lambda\pi\upsilon\gamma\acute{\epsilon}\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \varphi\omega\sigma\tau\eta\varsigma\ \omicron\iota\kappa\omicron\nu\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\varsigma$, horum judicium blasphemis Socinianorum præjudiciis præferendum fuerit. Cont. Soc. in def. animadv. p. 51. p. 312. c. 7. p. 216. Ostorod. cont. Tradel. part. 2. p. 87. Somm. ref. Carol. l. 1. c. 2. Smalc. præf. ref. Franc. Conf. 1. Joh. 5. 7. Joh. 10. 39. Matth. 28. 19.

*l. patris: A
dicit Trinitatem
Unitatem
unij Trinitatem
sem.*

XIII. Licet in Deo non detur numerus accidentalis, prædicamentalis, s. (qualis consideratur in quantitate discretâ) quantitativus: datur tamen salvâ summâ unitate essentiali, & adeo citra Trineitum, ternarius, & sic numerus numeratus mysticus, & hypostaticus, ac hoc respectu (citra omnem naturæ vel temporis prioritatem, vel ordinem, solius ordinis & Originis Hypostaticæ respectu) Persona, prima, secunda, tertia, atq; sic, etsi non substantialiter: sed relativè, tamen verè & realiter personarum Trinitas. Neque, in Trinitate comprehenditur essentia, ut una ex numero trium, vel loco primæ personæ, ac si hæc, una sola, & sic solus Deus Pater, sit una illa essentia divina, Filius & Spiritus S. sive personæ essentialitæ (quod voluit Gentilis) sive simpliciter non personæ divinæ (quod voluit Sociniani) sed velut in singulis, & adeo in tribus Personis, quæ quia non sunt essentialiter distinctæ, non sunt tres Dii, neque tres res absolute: sed tres personæ, relationibus propriis distinctæ. Ut sic & Essentia divina, realiter sit ipsa Trinitas, & contra, SS. Trinitas sit ipsa essentia divina nonnō s. communiter in tribus personis considerata, & æquè Filius æquè Spiritus S. ac Pater sit illa essentia divina s. ille ipse unus Deus, præter:

præter quem non est alius. Ac, licet terminorum, in antiquitate non par fuerit usus & suppositio, in primis *substantiæ*, & *hypostaseos*, quomodo Hilarius non veritus est asserere, *tres in Deo substantias*, Concilium autè Sardicense *tres in Deo hypostases*, hæreticis Tritheitis, non autem nisi *unam hypostasin profiteri*, Catholicis transcribit, Hieronymus quoque labente seculo 4. *tres hypostases* æquè ac *tres substantias* dicere abhorruit, res ipsa tamen aliis sive *Scripturæ*, sive *Ecclesiæ* vocabulis explicata salva remansit. Hilario sc. *substantia* idem quod *hypostasis* (s. persona) fuit: Sardicenses, contrà, *hypostasis* idem quod *usia* s. essentia: neque aliter Hieronymo consultori aliquando visum. Tritheitis sc. *hypostaseos* termino ludentibus, & *tres hypostases* asserendo *tres essentias distinctas* intelligentibus, & hoc sensu *tres hypostases* urgentibus, non simpliciter *Sardicenses* negarunt *tres hypostases*: sed secundum quid, quatenus illis *hypostasis* idem erat quod *usia* s. *essentia*, ut tamen & Sardicenses & Hieronymus professi fuerint, *tres personas in unâ essentiâ divinâ subsistentes*, vel *deitatem unam subsistentem in tribus personis*. Interrogamus, ait Hieronymus, quid per *tres hypostases* intelligant? *Tres personas subsistentes* ajunt. Respondemus: *nos ita credere*. Tota autem *literatorum secularium schola* nihil aliud *hypostasin*, nisi *usiam* novit. Taceantur ergo *tres hypostases*, & sufficiat nobis dicere *unam substantiam*, *tres personas*, *subsistentes*, *perfectas*, *coæquales*, *coæternas*. Conf. Hilar. lib. de *Trinitate*, Theodoret. Hist. l. 2. c. 8. Basil. ep. 43. Hieronym. ep. 57. ad Damasum. Contra Socinianos c. c. Smalc. *Nec primam, nec secundam, nec tertiam in divinitate personam agnoscere se*, profitentem disp. de Tr. p. 15. & Socin. Schinberg. & alios, *Patribus postNicænis, contradictionem, Tritheismum, ac inconstantiam* & alicubi *inclinationem ad suam hæresin*, imputantes, conf. ille in def. animadv. p. 368. & seq. hic præf. ref. & alibi. Conf. Matth. 28. 19. 2. Cor. 13. v. ult. Joh. 14. 10. 11. Rom. 12. 6. c. 15. 6. 30. 1. Cor. 1. 10. c. 2. 13. c. 6. 11. 1. Tim. 6. 3. 1. Pet. 4. 11.

XIV. PATER æternus, idemque ἀγένητος (quæ ἀγέννητος, non solum negat genitum, eo modo, quo etiam Spiritus s. non est genitus: sed simpliciter, quocumque emanationis modo productum) genuit ab æterno FILIUM unigenitum, parem majestate & gloria, & sic Deum de Deo, Lumen de Lumine: ab utroque procedit ab æterno,
SPIRI.

SPIRITUS SANCTUS, Patri & Filio ὁμοούσιος, Deus parimajestate & gloria, & sic hi tres, Pater, Filius & Spiritus S. unum essentiâ sunt, in quo mysterio, modum essendi, sequitur modus prædicandi: uterque, sic singularis & incomparabilis, s. prout loquuntur Nicanii $\delta\alpha\pi\epsilon\rho\rho\eta\tau\omicron\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\epsilon\lambda\omicron\upsilon\gamma\omicron\varsigma$, ineffabilis & incomprehensibilis. Ps. 2. 7. Joh. 3. 16. c. 5. 18. Rom. 8. 32. Ebr. 1. 3. 5. Rom. 9. 5. 1. Joh. 5. 7. 20. Jel. 6. 3. Act. 28. 25. Joh. 15. 26. Gal. 4. 6. 1. Cor. 10. 11. Ps. 48. 11. Ps. 86. 10. Jer. 10. 7. 10. Joh. 1. 18.

XV. Christus verus, non figuratè: sed propriè, ὁ λόγος (quod nomen primariò non Officiale: sed divina nature relatè in personâ Filii consideratæ significativum est) idemque verè & propriè ita dictâ generatione (de quâ, pro eminentiâ mysterii, non leviter, nec tenuiter: sed reverenter & magnificè sentiendum) à Patre ab æterno genitus & per naturam sic verus DEI (PATRIS) Filius, & unus verus, ac æternus cum Patre $\tau\iota\tau\iota$ ac naturâ Deus est, & (non saltim cum: sed & sine articulo sic in scripturis verè proprièq; nominatus) $\kappa\upsilon\pi\iota\omicron\varsigma$, imò $\kappa\upsilon\epsilon\iota\omicron\varsigma$ $\kappa\upsilon\epsilon\iota\omega\upsilon$. Neque magis implicat Christum & Filium Dei (Patris sc.) esse, & Deum, licet non sit personaliter ille Deus s. illa persona divina quæ est Pater, quàm, Salomonem esse Filium hominis (Davidis) & (licet non illa persona humana quæ Pater, s. non David, tamen reverà) Hominem: imò prout hic, quia per generationem est Filius hominis E. & naturâ homo, Patri Davidi ὁμοούσιος: ita Christus, quia per generationem est Filius Dei, licet non sit Deus Pater, (quippe cui relatè opponitur, & à quo characteristica proprietate discernitur) tamen pro ratione unius singularissimæ naturæ divinæ, Deus est, & Deo Patri (cum quo essentiâ summè unus) ὁμοούσιος. Cont. Crell. de uno vero DEO l. 1. Sect. 2. c. 31. p. 285. Enjed. in expl. loc. V. & N. T. p. 106. & alibi Catech. Racov. p. 65. Soc. in tr. de Deo, Christo & S. S. p. 14. Smalc. ex Err. 22. 37. p. 13. Conf. Ps. 33. 6. 2. Sam. 7. 20. Joh. 1. 1. 2. 14. Joh. 1. 18, c. 5. 18. Mich. 5. 2. Ps. 2. 7. Tit. 2. 13. 1. Joh. 5. 20. Act. 20. 28. 1. Tim. 3. 16. Jel. 40. 3. Luc. 1. 16. 17. 76. Jel. 45. 22. 23. 24. Rom. 14. 10. 11. Phil. 1. 2. Coloss. 1. 3. Apoc. 17. 14. c. 19. 16, c. 22. 20.

XVI. Spiritus S. non Creatura, non qualitas aliqua, non per modum attributi, virtus vel efficacia divina: sed verè persona, neque verò sive creata singularis, sive universalis Angelica (ut Spiritus S. sive

E

lingu-

Xb. Pater
qui dicitur
tu. o. ille
& Pater est

singularis & primarius aliquis intelligatur *Angelus*, sive collectivè (quod ex Apoc. i. 4. ex mentione VII. *Spirituum* malè infertur) *universus Angelorum exercitus*: sed verè una singularis numero hypostatica, persona divina, nec *imaginarius*, nec *impropiè*: sed verè & propriè unus cum Patre & Filio *Deus*, *Creator Angelorum & totius universitatis*, & adeo ab Angelis, utut & *Spiricibus & sanctis*, incomparabiliter & sic discretus, prout *Creator à creaturis & DOMINUS à ministris*, (quoniam & peculiari quodam personali modo *SPIRITUS*, quàm quo *κοινωνος* s. communiter & essentialiter cum Patre & filio est *SPIRITUS*) à Patre & Filio procedit, idem non solum Patris: sed & Filii s. *JESU Christi Spiritus*. Cont. Socin. conf. Catech. Racob. Der H. Geist ist auff keinerley Weise eine Person in der Gottheit/ ob er gleich natürlich nicht ausser Gott ist / sondern in Gott selbst/ und offft unter den Nahmen des H. Geistes nicht anders verstanden wird/ als Gott selbst. Ita & Ostorod. Inst. c. 4 p. 32. cont. Tradel. c. 12. p. 201. Wir concediren der H. Geist könne Gott genennet werden &c. Ita & Smalc. contra Graw. p. 6 *Etsi certo loquendi modo concedi potest Spiritum s. appellari Deum, tamen dici non potest Spiritum s. esse personam*. Conf. Socinus tr. de Deo Patre adv. Wiek. p. 395. qui contra tot clarissima Scripturæ loca pronunciare non est veritus: *Spiritum Jesu vel Christi esse Angelum, neque unquam Spiritus Christi nomine Spiritum s. simpliciter intelligi: Spiritum s. non esse personam quandam singularem à Christo & ejus Angelis distinctam: sed vim & efficaciam divinam*. Vid. quoque Autor Paradoxi &c. Conf. Matth. 28. 19. 1. Joh. 5. 7. Luc. 3. 22. Joh. 15. 26. c. 16. 7. 8. 13. 14. 15. Act. 13. 2. 4. c. 16. 7. Gen. 1. 2. Pf. 33. 6. Job. 33. 4. 1. Cor. 12. 3. 4. 11. 13. 2. Cor. 13. 13. Jes. 6. 2. 3. 8. Act. 28. 25. Luc. 1. 68. 70. 2. Pet. 1. 21. Rom. 8. 9. Gal. 4. 6. 1. Pet. 1. 11. 12.

XVII. Prout nomen *PATRIS* personaliter sumtum & κατ' ἑσῶν s. *ad intra*, in relatione ad λόγον s. unigenitum & æqualem Patri Filium, solius personæ primæ, s. Dei Patris proprium nomen est: ita idem nomen Patris, sumtum essentialiter, in relatione κατ' ἔξω, *ad extra* s. *creaturas*, ut consideratas, sive in regno *potentiæ*, sive *gratiæ*, sive *gloriæ*, (salvâ distinctione, quàm ratione hypostaticæ *Originis*, & *patris facti-*
nis

nis, etiam in operibus ad extra, Ordinis, insinuat scriptura) æqualiter commune est Patri & Filio & Spiritui S. & adeo non minus *Filius & Spiritus S.* quàm *Pater Jesu Christi*, in hâc suppositione posteriori, *Pater* est & in scripturis dicitur, non quidem propriè, prout in suppositione 1, per veram, & propriam generationem: sed figuratè vel metaphoricè, e. c. Angelorum per *creationem*, credentium per *regenerationem*, beatorum per *resuscitationem*, *glorificationem*. Ita *Pater luminum* non est solus *Pater Christi*: & ipse *Pater Christi* longè eminentiori ratione est *Pater Christi* quàm *Pater luminum* Cont. Crell. l. de uno Deo Patre &c. Conf. Job, 38, 7. 28. Pf. 65, 6 Pf. 89, 30. 31. Mal. 1, 6. Mal. 2, 10. Deut. 32, 6. Pf. 82, 6. Jes. 9, 6. c. 63, 16. Jer. 31, 9. 20. Pf. 22, 31. Joh. 1, 13. Joh. 3, 1. 2. 6. Jacob. 1, 17. Joh. 20, 17.

XIIX. Mysterium hoc SS. Trinitatis, & ipsum adeo dogma *de Filio Dei æterno ex Patris essentiâ genito, & Spiritu S. unâ cum Patre & Filio, æterno & vero Deo, Creatore universi, non solum, (1) post: sed & ante tempora Concilii Niceni, nec saltè, (2) post Ignatium: sed & ante, post tempora Apostolorum (3) nec saltim ab Apostolis: sed & 4. in V. T. à Mose & Prophetis propositum ab omnibus sanctis semper & fuit creditum & est credendum*. Cont. Socin. in Miscell. p. 227, 228. eundem in defens. animadvers. p. 368. 369. lib. quod Reg. Pol. p. 40. Schinb. præf. Smalc. præf. ref. Franc. Zwick. Jos. novi federis. Conf. de 1. Syn. Alex. sub Jul. de 2. Tert. adv. Prax. c. 12. Cypr. ep. 74. ad Pomp. item l. de Spiritu S. ubi: *Spiritus* inquit, *Sanctus est à Patre & Filio procedens, qui ab ipso mundi initio aquis legitur supersusus, qui SPIRITUS DOMINUS & CREATOR & VIVIFICATOR de inexhaustâ suâ abundantia absq; ullâ sui deminutione integritatem suam omnibus commodat & impertit* l. 9 in c. 8. ad Rom. Prout, inquit, *UNUS EST NATURA FILIUS UNIGENITUS de Patre, per quem omnes Filii appellantur: ita Spiritus quid em sunt multi: sed UNUS EST SPIRITUS S. qui & idem est Spiritus Dei & Spiritus Christi, qui verè ex ipso Deo procedit, & cæteris omnibus vocabuli ac sanctificationis suæ gratiam donat, qui velut Spiritus Principalis* Pf. 51, 14. multum differt à *MINISTERIALIBUS SPIRITIBUS*. (Angelis Pf. 104, 4.) & *ipsis donis vel Charismatibus diversis, que sæpe apud Paulum, Spiritus vocabulo veniunt*

Conf. Basil. l. de Spir. S. qui pro probandâ eâdem fide, de ὁμοσίῳ & equalis
majestatis ac gloria Filio ac Spiritu S. cum Patre (non obstantibus alicubi di-
 versis loqvendi modis) adducit ex sec. 2. & 3. Irenæū, utrumq; Clementē, utrum-
 que Dionysium, Origenem, Greg. Thaumaturgū, Firmilianum, Meletium, Africanū,
 Athenogenem Martyrem, quin consensum Ecclesiasticum orientis & occidentis,
 & pulcherrimè addit: *μετὰ τὴν βαπτισμὸν* s. formulā Baptismalem, qua sc. bap-
 tizamur in unum nomen PATRIS ET FILII ET SPIRITUS S. esse *εἰσομολογῆναι*
πρὸς τὸ θεογνωσίαν s. regulam, verum Deum rectè agnoscendi & glorificandi.
 Conf. qvoad 3. Matth. 28. 19. 2. Cor. 13. 8. Joh. 5. 7. Act. 5. 3. 4. 2. Cor. 9.
 17. qvoad 4. Gen. 1. 1. 2. 26. c. 3 22. Gen. 22. 15. 16. c. 48, 16. Exod. 23. 20. 21.
 Pl. 33. 6. Prov. 30. 4. Num. 12. 6. 2. Sam. 23. 2. Il. 63. 9. 10. 11. Pl. 78. 17.
 18. &c.

XIX. Dogma de SS. Trinitate, non saltem non est in ipsâ pedîâ Christianâ,
 prout blasphemè comminiscuntur Sociniani, noxium: sed πολυμερῶς, ad
 glorificationem Dei Creatoris, & salutis nostræ reparatoris, atqve sic ad
 nostræ salutis beneficiorum œconomiam, & in hâc totiùs SS. Trinitatis
 regenerantis in Baptismo *Φιλανθρωπίαν*, pædiamq; adeò & praxin Christi-
 anam, utile maximè & necessarium. Falsumq; quod pro thesi suâ
 blasphemâ de articulo damnofo, objicit Cateches. Racov. p. 48. sc. quod
 per dogma de Trinitate 1. periclitetur Fides de Deo uno 2. deminuat de
 gloria Dei Patris, dum eadem arrogetur Filio & Spiritui S. 3. Obscuretur
 agnitio inchoatoris & consumatoris nostræ salutis. 4. Modus hujus operatio-
 nis s. procurationis. 5. Obstacle inijciatur propagandæ Christianæ
 religioni, contradictoria veritati divina & reformationi affirmando, atq;
 sic, per illud dogma, evertatur via salutis. Resp. enim ad r. non per dog-
 ma de SS. personarum Trinitate in summa & simplicissimâ unitate (qvip-
 pe: *Hi tres unum sunt*) sed per Socinianam dualitatem *Deorum na-
 turâ diversorum*, unius majoris vel supremi, alterius minoris & subordinati
 dogma de Deo essentiâ summè uno, & simul religio Christiana evertitur,
 & paganismus, introducitur, non negante Smalcio talem hîc qvendam
 Syncretismum hom. l. in Joh. p. 11. Ad 2. Hypothesis falsa: Solum Patrem
 Jesu Christi esse unum illum Deum. Contra: *Ego & Pater unum sumus*. O-
 mnes

mines jubentur honorare Filium, sicut Patrem: *qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* Filius est in Patre, & Pater in Filio Ioh. 5. 21. 23. 26. c. 10. 30. c. 14. 9. 10. 1 Ioh. 5. 20. Heb. 1. 3. Apoc. 5. 12. Etiam Filius & Spiritus S. sunt Pater noster, qui est in cœlis (vid theol. 17.) Ad 3. talis non solum est Deus Pater: sed & Filius Heb. 5. 9. c. 12. 2 & Spiritus S. Rom. 8. 11. 16. 26. Ad 4. Contrarium vid. Matth. 28. 19. Joh. 3. 16. Act. 20. 28. Ebr. 9. 14. Ad 5. Petitio principii. Non est id contradictorium *scripturae* Conf. Matth. 28. 19. 1. Ioh. 5. 7. 2. Cor. 13. ult. Nec quod est sive *supra* rationem rectam, vel *sive captivatam* 2. Cor. 10. 6. sive *contra* rationem ex orbitantem Socinianam, id est contra rationem in se & idealiter consideratam, Vid supra sect. 2. Aph. 5. 6.

XX. Meri Paralogismi Sociniani sunt: e. c. *si Pater est unus ille Deus. E. non Trinitas: vel si hoc, non Pater Christi: Sed. E. Sunt enim 4. termini, & negatur consequentia: Christus non est Jehovah Pater. E. non est Jehovah. Non est unus Dominus Pater ex quo omnia. E. non est unus Dominus: item Pater est unus Deus ex quo omnia, Christus est unus Dominus per quem omnia. E. Christus non est unus ille Deus, item. E. Christus simpliciter non est Deus ex quo omnia.* Confunditur suppositio *personalis* & *essentialis* Distinctio *personalis* non perimit *ουνοτητα* & *essentialis* & *majestatu* Et particula *Ex* etiam de Filio, prout *per* de Patre prædicatur. Conf. Marci, 5. 30. Ioh. 16. 14. 15. 1. Cor. 10. 4. Ephes. 4. 16. c. 5. 30. Coloss. 2. 10. 19. 1. Ioh. 2. 27. Ita non V. C. Pater est solus vel unus verus Deus, E. *solus Pater est verus Deus,* (non Filius, non Spiritus S.) Pater est solus Deus sapiens E. solus Pater, non Filius non Spiritus S. est *μόνος* s. unus ille solus, *οὐδὸς θεός.* Nec hoc: sed illud habetur Ioh. 17. 3. 1. Cor. 8. 6. Rom. 16. 27. & alibi Christus quoque appellatur, *ὁ μόνος θεοσόμης θεός,* item *μόνος θεός σωτὴρ ἡμῶν* Iud. v. 4. 25. Ita non valet: *Si nullus est creator, nisi Deus Trinitas. E. vel Christus non est Creator, vel si est Creator, Christus erit Trinitas.* In majore enim sumitur *ουνοτης* & *essentialiter*, in minori *personaliter*, unde 4. termini. Ita Christus Ioh. 10. 30. dicit: *Ego & Pater unum sumus* E. sunt unum non *essentialis*: sed *consensu* & *concordia*. Ita, Spiritus, aqua & sanguis, non sunt *unum essentialis*. E. nec Pater, Verbum & Spiritus S. sunt *unum essentialis* 1. Ioh. 5.

1. Ioh. 5. 7. 8. Est enim paralogismus petitionis principii & comparatorum: Ita Verus Deus invocatur per Mediatorem. Pater Filius & Spiritus S. non invocantur per Mediatorem. E. Item: Unus & solus Deus. Pater, invocatur per Mediatorem. E. solus Pater est unus & solus s. verus & adorandus Deus. Falsa utrobique minor Conf. Dan. 9. 18. 19. Ita: Quicumque adorant tres, quorum quilibet est Deus à seipso, illi tres Deos adorant. Atque Trinitarii. E. Lim. majoris subjectum tres essentiali numero distinctos &c. Sic falsa minor. Ita: Pater Christi est Deus Judæorum Ioh. 8. 54. 55. est conditor cæli & terre Act. 4. 24. Opifex maris & femine Matth. 19. 4. E. Solus Pater &c. Veri adoratores adorant Patrem in Spiritu & veritate. E. non Trinitatem. Invertatur enim: imo quia Patrem. E. & Filium, qui, in Patre: & Spiritum S. qui in Patre & Filio: item juxta Basil. E. adorant Trinitatem, quia adorant Patrem in Spiritu (Sancto) & veritate (Christo testante: Ego sum veritas) Conf. Ioh. 4. 24. c. 14. 6. Conf. Act. Colloqui Alba. Iul.

XXI. Solus ille verus Deus Creator cæli & terræ, Pater, Filius & Spiritus S. æqualiter & sine subordinatione Filii ad Patrem, velut *Dei minoris ad majorem*, ab omnibus credentibus in V. & N. T. & fuit adoratus & invocatus, & est adorandus & invocandus, sic ut ipsa precum quoque directio, debeat quoad actum, æqualiter Patri & Filio, & Spiritui Sancto, salvo semper, in illâ communionem, personarum ordine, nec à directorio formali externo formularum Ecclesiasticarum e. c. ad Deum Patrem, ad exclusionem sive Filii sive Spiritus S. valet consequentia. Ier. 10. 11. Ies. 6. 1. 3. 8. Gen. 48. 16. 2. Ioh. 3. If. 63. 9. 10. Act. 7. 59. Apoc. 19. 10. 2. Cor. 13. 13. 1. Thess. 5. 27. Rom. 15. 30.

XXII. Prout, quod à Socino notatum in def. animadv. p. 479. illis, qui falsa dogmata tuerentur, ferè accidere, ut sibi ipsis contradicant, in Socinianismum quadrare, jam supra remonstravimus: ita circa hunc quoque de SS. Trin. articulum idem observare licet. Ita Socinus in Catech. ad questionem: An primo homini innotuerit, in Deo esse plures personas? Respondet: Tibi nullo pacto sic verisimile, Deum primo homini, antequam obedientiæ illius periculum fecerat, mysteria sua abditissima patefecisse, & multò minùs postea, ubi illum, periculo factò, minimè obedientem deprehendit. Hic inter mysteria abditissima refertur, quod cetero qui monstrosū, portentosum, & exhibilandū Antichristi idolum appellant. vid. sect. 1. aph. 5. 9. supra

supra in Apparatu. Ita nuncipsum TRINITATIS vocabulū ferre nō possint & miserè traducunt (vid. supra) Mox autem, ubi urgentur loci scripturæ: *Protestamur, inquit, nos Trinitatem non negare.* vid. Coll. Alb. p. 3. Ita dogma de Filio Dei ab aeterno ex substantiâ Patri genito, ipsaq; Trinitate Socin. in def. animadvers. *negat cognitū ante tempora Constantini M. p. 368. & tamen p. 369. Possumus, inquit, Adversariis concedere Christianos omnes inde ab Apōstolis, illum verum Deum coluisse, nec tamen inde sequitur, id facere esse verè Christianum.* Ita & Smalc. Schopp. 20. *Dogma nostrum de Trinitate nondum tempore Arij existisse asserit.* At in Colloq. Alb. Jul. Act. dici. 1. dogmatis illius inchoatio adscribitur Ignatio (ex sec. 1.) Zwickkerus autem in Ios, novifederis illud & alterum Christianorum de Filii Dei in carnatione dogma, imputat Irenæo (sec. 2.) ceterisq; Christianis, qui circa A. C. 138. ejus occasione editi Adriani veteribus & primitivis illis Christianis Nazarenis, successerint, imo, ipsi Marco Hierosolymorum Episcopo & Ignatio, per quos invaluerit dogma de præsantiore quodam filio, quàm homo Jesus est. Ita alicubi Crellius l. 3. de uno Deo patre Sect. 2. c. 1. *Quomodo, qua ratione, inquit, distinguitur Filius à Patre, eodem modo, & eadem ratione distinguitur quoque Spiritus S. à Deo.* Atque concessum: *Filium à Patre realiter & personaliter distingui.* E. & Spiritus S. distingueretur personaliter, & ex hypothesi ab Ostorodo, Smalcio, & aliis concessa: *Spiritum S. esse de naturâ Patris ut Dei, naturaliter in Deo Patre residere, ab omni creaturâ distinctum, erit persona divina.* Ita Smalc. ref. 1. libri de er. Ar. p. 158. *Quod Deus est, Persona est.* Subsumatur ex Ostorodo, & alibi Smalcio. *Atq; Spiritus S. Deus est.* Concludendum sic fuerit. *E. Spiritus S. persona divina est, quod tamen pernegant: qui & hic mirificè domi discordant, aliis asserentibus, Spiritum S. esse nudam qualitatem, aliis vim atque efficaciam divinam & virtutem & ingenti Paralogismo inferentibus: Spiritus S. est virtus ex alto. E. non persona.* Aliis in Angelos abeuntibus & Spiritum Jesu vel Christi, de Angelo quodam Christi, vel etiam Spiritum S. de universo Angelorum exercitu interpretantibus. Conf. Socin. l. 2. de Deo, Christo & S. S. Zwickkerus in Ios, p. 17. Autor *Paradoxi.* Ita in controversiâ de invocatione Christi quàm domi sese conficiunt illi Andabatae, aliis cultum religiosum Christo velut naturâ non Deo, penitus negantibus (Fr. David) aliis (Antecessore Socino) in V. T. agnoscentibus præceptū & inde

& inde obligationem pro solo Deo Patre Christi invocando, & religio-
sè colendo: in N. autem T. invocationem quidem Christi non obligare
ex præcepto, nedum ut preces dirigantur ad Christum, posse tamen
Christianum aliquando etiam invocare Christum, licet ad id non teneatur,
Ita & Volk. l. de verâ relig. & Socinus: Aliis, & posse nos, & teneri ad
adorationem & invocationem Christi, etsi naturâ meri hominis (quo-
modo Blandrat.) ita tamen ut Christus colatur tanquam Deus *minor &*
subordinatus, Deus Pater, tanquam Deus *suorum* & *naturâ*. V. vid. Sm.
hom. in Ioh. p. 10. 11. 12.

III. Ανθρώπινοια & quidem

I.

DE HOMINE INTEGRO.

& creatione tum ANGELORUM, tum hominum.

I.

Prima obligatio, prout *Angelorum*: ita & *Hominum* (Hi quippe, vel
hæ duæ species *nobilissimum creationis subjectum* constituunt) ad *colendum*
& *glorificandum equaliter Deum illum Trinunum*, nascitur ex *creatione*, se-
cunda ex *providentiâ* s. *gubernatione*, tertia (quoad hominem lapsum) ex
gratuitâ per Mediatorem Filium *reparatione*, quarta quoad hominẽ repa-
ratum & prædestinatum ex futura *glorificatione*. Gen. 2. 3. Eccles. 12. 1. Ies.
40. 12. 13. (ubi non memoratur Spiritus Jehovæ: sed *Jehova* dicitur *ex-*
pendisse Spiritum prout v. 12. *cælum, aquas, montes, colles*) c. 44. 16.
Ier. 10. 7. 11. Act. 17. 24. Iob. 38. 7. 1. Pet. 1. 3, 4. 17. 18. 19. c. 2. 5. 9. 10.
Rom. 11. 30. 36.

II. Non solus Pater Domini nostri Iesu Christi: sed & æqualiter
cum Patre, ὁ λόγος (nec hic alius, quàm *Incarnandus* & sic ipse Iesus
unigenitus & proprius Filius) & Spiritus S. (non saltem non creatu-
ra, nec saltem increatus: sed & *Creator*) & adeo *tres persona divina*,
unâ eademq; numero naturali operatione, neque verò ex materiâ qua-
dã ab æterno præexistente, & sic ex *nihilo privativè* (quale non sine absurdi-
tate ex Hebr. c. 11. 3. à Volk. colligitur) sed ex *nihilo negativo*, eoq; par-
tim *puræ negationis*, s. simpliciter Non-Ente, partim (& suppositâ illâ
informi materiâ) naturalis indispositionis, produxerunt s. crearunt,
universam creaturam, & adeò sine interventione alicujus *En-*

sis

tu creati, velut creationis sive instrumenti s. efficientis proximi (quale non minus absurdè ex verbo mandati, s. illo: *dixit Deus: Fiat e. c. lux*, à Volkel. educitur, quàm inde ó λóγος s. Filius Dei, *verbum creans & Creator* negatur) *tres personæ increatæ Creantes*, causa efficiens fuerunt universi hujus, & omnium in illo specierum s. substantiarum spiritualium & corporearum. Errant adeò Sociniani, ex hypothesi negatæ existentia Christiane conceptionem de Spiritu S., *Christum Dei Filium*, ex alterâ, negatâ distinctæ personalitatis, *Spiritum S.* à causâ efficiente Creationis universi excludentes, (*Mundus*, ait Socinus in instit. rel. Christ. p. 48. *aliquot annorum millibus ante Jesum unigenitum ac proprium Dei Filium creatus est. E. per Christum nullo modo hic mundus sive factus est, sive fieri potuit*) materiam privativam præexistentem fingentes, & exautorato VERBO hypostatico Creatore, *verbum creatum* substituentes. Conf. Volkel. l. 2. de ver. rel. c. 45. l. 5. c. 9. Conf. Gen. 1. 1. 2. 3. 9. Pf. 33. 6. Joh. 1. 1. 2. Coloss. 1. 16. Job 33. 4. Eccles. c. 12. 1. Heb. 11. 3. Rom. 4. 17. Sap. 11. 18. Joh. 8. 58. Hebr. 13. 8. Jud. v. 5.

III. *Petitio principii est: Primam illam creationem universi Christo tribui non posse: quia semper, cum vocatur Christus Creator, hoc intelligendum sit juxta materiam substratam de Creatione Regni Christi. vid. Coll. Albalul. p. 42. Conf. ad Coloss. c. 1. 15. 16. ac consideretur materia ibi substrata, quam constituunt omnes creaturæ Spirituales & corporeæ e. c. throni Angelici &c.*

IV. *Nuspam in scriptura, Angelus creatus appellatur vel appellat se יהוה. Nec sive ab Uno, ex tribus Abrahami hospitibus, appellato יהוה, ad omnes illos tres, & adeo ad Angelos creatos eodem nomine salutatos: sive ab Angelo Domini Oratore ad Mosen ex ardente rubo, ab Angelo יהוה, eodemq; יהוה, Exod. 3. 2. 4. ab Angelo illo liberatore Jacobæo Gen. 48. 16. à יהוה Legis promulgatore, ab Angelo Mediatore Gal. 3. 19. Mosi in monte collocutore Act. 7. 30. 35. 38 ad Angelos illos in monte Sinai apparitores, quorum & ibi Paulus & hic v. 53. Stephanus meminit, vel contra, ab his εὐδαιμόνις Angelis, ad illum, singularem Angelum יהוה, unum ex istis, valet consequentia. Cont. Albalul. p. 10. Conf. Jes. 42. 8. Apoc. 22. 9.*

V. *A negatione Angelorum increatorum in plurali, ad negationem Angeli εὐχολῶς sic appellati, increati, non V. C. Notetur autem hypothesis*

thesis Alba-Julianorum concedenda. *Inter creaturam & creatorem non dari tertium sc. Increatum* : & per consequens, aut Angelos asserendos *Creatores*, aut meras *creaturas*. Applicetur : *Omne Ens est vel Creator vel creatura*. Spiritus S. non est creatura. E. *Spiritus S. est Creator*. Major est Albalul. p. 11. Minor Socini, Ostorod. Smalcii. Concessis ergo praximillis, frustra negatur conclusio.

VI. Falsum, per *Angelorum Creationem*, Deum primò omnium factum esse *Patrem* : cum *Pater Jesu Christi* jam ab æterno fuerit, per naturalem æterni Filii, ex ipsâ essentiâ generationem, prout æqvè & aperte falsum : Christum in toto V. T. nuspiam appellari Dei Filium. Contra eosdem p. 80. & 145. Conf. Ps. 2. 7. 2 Sam. 7. 14. Heb. 1. 5. Prov. 30. 4. Ps. 72. 17. Ps. 80. 16.

VII. Angeli (*εἰδωλός* sic appellati) non saltim non sunt *increati* : sed & quia non sunt *increati*, nec adeo *Creatores*, proinde non sunt tales, ad quos Deus vel *ὁπτήν* Creator dicere potuerit : *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram*. Falsum adeo quod asserunt in Colloquio Alba-lul. p. 84. *Deum in creatione hominis allocutum esse militiam cælestem, s. Angelos, velut creationis media & instrumenta* : & quod Smalc. cont. Schopp. hominem creatum juxta *imaginem & similitudinem Angelorum* asserit Ps. 104. 4. Col. 1. 16. Hebr. 1. 7. 14. Jes. 40. 14.

VIII. In Angelis bonis, inq; bono confirmatis & extra potentiam lapsus positis, nulla datur naturalis imperfectio, nulla pravitas, & sive totalis, sive *partialis corruptio*, unde &, propter defectum terminâ quò, lapsum sc. & miseriam, qualis in specie hominum, nulla datur Angelorum in Christo *electio*, reconciliatio, *redemptio* : Luc. 20. 36. Matt. 22. 30. cont. Alba-Jul. p. 93. Smalc. & alios.

IX. Angelicas revelationes extraordinarias petere illicitum : expectare & ratas habere, propter possibilem *Satane in Angelum lucis, μετὰ χηματοπυρόν*, periculosum : revelatis, apparenter, verbo Dei scripto non contrariis obtemperare, intutum : adorare vel invocare illos sive ut intercessores, sive ut adjuutores, sive, ex hypothesi Christi, non naturâ Dei, & tamen adorandi, communem cum Christo adorationis cultû, Angelis deferre, est damnabile gloria Deo debita præjudicium, Luc. 16. 20. 2. Cor. 11. 14. Deut. 6. 13. Apoc. 19. 10. cont. Smalc. error. Smiglec. p. 48.

X Pri

X. Primus Homo, prout ex *creatione*, à Deo conditore acceperat ipsam *substantiam* s. *corpus & immortalem animam*: ita in illâ ipsâ *Creatione*, ex eadem *benignitate Conditoris*, accepit *concreatam illam sibi divinam imaginem*, quæque hujus fundamentum fuit, similitudinem, sc. in suppositâ animâ rationali, eademq; æquæ ac Spiritus Angelicus, naturaliter immortali i. perfectissimam expressionem divinæ sapientiæ & omnimodæ scientiæ in intellectu, justitiæ, sanctitatis, puritatis, castitatis, sine rebellionem, in appetitu, 2. divinæ incorruptibilitatis, adversorum impassibilitatis & *advarciæ* in Corpore 3. divinæ deniq; majestatis & autoritatis ac domini in toto supposito: ex quibus primû imaginis formâ constituit, 2. & 3. illius consequens fuit. Falsum adeo, *Imaginem illâ fuisse sive ipsam substantiam s. intelligentiæ & voluntatis naturâ*, sive solû dominiû in bruta 2. Adamo non *concreatam fuisse justitiæ, & sanctitatem* quendam originalem, nec hanc adeo amissam. 3. Conditum fuisse, cum *concupiscentia carnis & magnâ quadam pronitate ad peccandum*, cumq; *morbida* ~~in~~ *laboris molestia*, cum *passibilitate variorum adversorum & mortalitate*, etiam *ante transgressionem*, naturali. 4. In Adamo non fuisse perfectam veritatem nec sui ipsius, nec extra seipsum, aliarum creaturarum, nedum creatoris excellentem cognitionem: *innocentiam & simplicitatem*, in Adamo, fuisse *infantilem, & agnitionem puerilem*, ultra quam non *ascenderit illa nomenclatura animalium*, in quâ nihil sublime vel subtile. Ita Socin. de statu 1. hom. c. 4. p. 119. & c. 6. p. 155. 156. præl. c. 1. & c. 3. p. 8. c. 4. p. 10. Volkel. 1 2. c. 4. 6. Smalc. cont. Fr. disp. 2. p. 44. 45. de nat. Dei Filio c. 27. p. 20. 60. Catech. Racov. p. 22. Conf. Gen. 1. 26. 27. 28. c. 5. 1. Ephes. 4. 24. Coloss. 3. 10. Ephes. c. 7. 29.

XI. Non obstante *corporis primi hominis viventis*, ex *elementis materiali compositione, localitate, animalitate, cibi ac potus, somni quoque quâdam necessitate*, & sic partiali quâdam, quæ tamen totius non *destructioni* inferviret, *sed conservationi*, corruptione, Homo ante lapsum non tantum potuit *non mori*: sed & per naturæ conditionem, ante & extra lapsum s. *transgressionem* perseverans (qualis ex *concreatâ positivâ libertate* manere poterat, etiam citra auxilium speciale, & cooperationem divinam in actu secundo) *non potuit mori*: & hæc ipsa *immortalitas* s. à *morte immunitas*, non fuit *speciei adventitia*: sed eidem *concreata & sic naturalis*

naturalis primo homini, ut tamen natura humana, incorruptibilis, qualis erat ante lapsum ex imaginis concreatione, naturâ & specie, non differat à natura corruptibili, qualis nunc propagatur ex corrupta Adami lapsi Imagine. Gen. 2. 17. c. 3. 22. Rom. 5. 12. c. 6. 23. Sap. 2. 23. cont. Catech. Racov. p. 21. 25. Soc. disp. 1. hom. p. 4. §. 57. & in miscell. p. 85. lib. 4. 2. P. p. 55. &c.

XII. Gravissimus Socini error est in Syllogismo Apostatico, quod articulos de immortalitate primi hominis, de justitia originali, de peccato naturali, de concupiscentia in Adamo ante & post transgressionem, ac nunc, in renatis, leviores planè aestimaverit, & tales, de quibus prorsus liberè debeant esse opiniones, velut de quibus liberè sine periculo salutis liceat sentire. Contra, error ille gravissimus est, & πῶτον ψεύδος errorum de homine corrupto, reparando & glorificando, profluit ex erroribus articuli de homine integro. Conf. Rom. 5. 20. Apoc. c. 2. §. Apoc. 3. 2. 17.

XIII. PROVIDENTIA (prædestinatione longè amplior, quæque pro objecto habet solas & omnes creaturas, ipsum præcipuè hominem, citra exceptionem ullius status s. naturæ s. gratiæ s. gloriæ, & quorumcunque s. naturalium s. moraliter bonorum motuum, actionum, modorum, eventuum) ita definitivè complectitur exactam & æternam omnium quæ fiunt, etiam antequam fiant, scientiam (non solum futurorum ex decreto: sed & purè contingentium & contingibilium, non contingentem: sed infallibiliter & determinatè præcognitorum, atque adeo non saltim Operum Dei: sed & Hominum, ipsorum etiam sceleratorum, actionum malarum futurarum præscientiam) influxum item positivum (conservativum, cooperativum, gubernativum s. directivum) ut tamen in actiones malas non influat Deus, nec concurrat positivè ullo actu vel decreto cooperandi, vel illas determinandi: sed saltem justis de causis gratiam subtrahendi, sceleratam talem actionem positivè & physicè (moraliter enim semper impedit) non impediendi, permitteudi, puniendi, ac in glorificationem sui nominis convertendi. Errant adeo Sociniani, contingentium & contingibilium, imo Operum, quæ sunt ipsorum hominum, præscientiam DEO abnegantes, illam ad sola Opera Dei restringentes &, hâc occasione, ipsas etiam sceleratissimas malorum vel sanctorum lapsorum malas actiones e. c. proditorem Judæ, conclamationem Judæorum, de Jesu velut blasphemus crucifigendo, abnegationem Petri

(ne

(ne ponantur extra præscientiam) *insuperabili decreto & per hoc, Deo velut causæ primæ* transcribentes Conf. Socin. præf. c. 8. 9. 10. 11. p. 28. & seq. Smalc. cont. Franc. p. 428. 431. & seqq. Autor not. in nod. Gord. c. 17. p. 56. Volkel. resp. ad nod. Gord. c. 18. p. 183. Conf. Gen. 1. 26. 31. Ps. 104. 29. 30. Act. 17. 25. 26. 28. Coloss. 1. 17. Hebr. 1. 3. Act. 15. 18. Luc. 12. 6. 7. 24. 27. Hebr. 4. 13. Matth. 2. 13. c. 11. 21. Deut. 32. 4. 5. Ps. 5. 3.

II.

DE HOMINE CORRUPTO.

I.

Adamus (non exclusâ primâ matre Heva, velut propriè à serpente Antiquo seducta) legem Paradisi transgrediendo, non saltem in propriâ: sed & (velut unus ille, ex cuius sanguine propaganda erat super universâ superficie terræ, gens humana) in omnium posterorum (in illo, velut fonte generis humani, specificè præexistentium, & ex illo, animâ rationali non minùs, quàm corpore naturaliter propagabilium & propagandorum.) personâ, & sic propter, non Tropicam: sed verissimam illius *περὸν ἁμαρτίας* s. offense & contumaciæ, ac inobedienciæ Adamitiæ imputationem, totum genus humanum in Adamo verè peccavit, ac propterea Adamus non solùm in seipsum: sed & in omnes posteros ex se carnaliter nascituros, nec saltem illius imaginis s. justitiæ originalis privationem s. carentiam, nec solam miseram quandam morbidamve nascendi, vel langvidè & difficulter agendi, conditionem, vel citiùs & certiùs moriendi, inq̄ve morte perseverandi necessitatem: sed incomparabiliter graviolem, positivam pravitatem, & concupiscentiam *ὁμοιωσὶς δὲ* vitiosam, unâ cum culpæ & poenæ s. damnationis æternæ reatu, non voluntariâ imitatione: sed carnali conceptione & nativitate, in omnes, sine exceptione ullius individui, propagabilem, & ita verissimi Nominis peccatum, in omnes & singulos ex carne natos, sic ut propter hoc nascantur & sint iræ Filii, æternæ morti & damnationi, iusto Dei iudicio, obnoxii, induxit. Errant adeo Sociniani 1. *Imaginem illam Dei in Adamo amissam*, ex pravâ interpretatione locorum Gen. 2. 6. Jacob. 3. 9. negantes. 2. *Transgressionem Adami pro peccato*

merè personali, & unde ne quidem Adami, nedum posterorum, natura depravari sic potuerit, reputantes, & imputationem illius inobedientiæ Adami sive non nisi merè Metaphoricam, sive nullam agnoscentes, ac velut absurdam exhibilantes. 3. Lapsum adeo talem Adami, ex quo in ipsum Adamum, inductum, & multò magis, ex quo in posteros traductum fuerit aliquod ORIGINALE peccatum, damnans & afferens æternam mortem, penitus explodentes, & exceptâ servili illâ nascendi sic conditione, & mortis corporalis necessitate, nullum Peccatum originale simputatum s. congenitum admittentes, se cum Pelagio hîc sentire apertè profitentes, quia peccatum originale humani ingenii figmentum, commentum, meram fabulam Monachorum, vel peccatum imaginarium, à vulgo Christianorum confictum & inter ignorantias Evangelicorum collocandum, impudenter pronunciantes. Vid de I. Catech. Racov. c. 1. p. 22. de II. Socin. in lib. quod regn. Pol. c. 5. prælect. c. 4. p. 11. 13. 14. Catech. Racov. p. 285. de III. Socin. lib. q. 2. P. p. 57. 58. 59. in miscell. p. 85. de Christo Serv. p. 291. de statu 1. hom. p. 287. p. 321. Ostorod. Inst. c. 33. p. 271. Smalc. cont. Franc. p. 41. 45. Conferantur in contrarium loca Gen. 1. 27. c. 2. 17. c. 5. 1. 2. Col. 3. 10. 1. Tim. 2. 14. Rom. 5. 12. 15. 16. 17. 18. 19. Joh. 3. 3. 4. 6. Pl. 51. 7. Gen. 6. 5. c. 8. 21. Rom. 3. à. v. 10. ad 19. v. 23. c. 7. 7. 8. 11. 13. 17. 20. 21. 23. Ebr. 12. 1. 1. Joh. 1. 8. 10. c. 2. 16. Ephes. 2. 1. 2. 3. c. 4. 18.

II. De peccato hoc Originali, quia etiam de Actuali, non pronuncian-
dum ex rationis humanæ judicio: sed unice ex aperto Verbo
divino, sacris Canonicis libris circumscripto, ex quo adeò profligantur
& evertuntur illa hæreticorum prava ratiocinia c. c. 1. *Ex uno, certo
& actuali peccato, non potuit nasci peccatum quoddam habituale, nec concupiscentia talis, quæ sit pronitas s. propensio ad omnia vitia. E hæc non imputanda est primo illi peccato, nec exorta ab uno illo 1. hominis peccandi actu, nec adeo afferenda est pravitas talis positiva, & inclinatio talis tantum prava, quæ æquè ac ejus determinatio, habens instar accidentis positivi, non physici: sed moralis, per peccatum Adami in naturam sit inducta. 2. Prout in delictis personalibus, sola conditio servilis transit in posteros, non autem ipsum delictum majorum: Ita & ex peccato Adami sola saltem necessitas & perpetuitas mortis: non autem peccatum vel veri nominis reatus transit*

transit in posteros. 3. Ubi nulla notitia & actio voluntatis, ibi nullum peccatum. Atque in infantibus. 4. Quod ab arbitrio nostro non pendet, illud à justitia Deo non exigitur, nec punitur. 5. Nemo peccator redditur nisi propria voluntate. 6. N. actio singularis parit habitum. 8. Nullus habitus, quantumvis profundè radicans, actiones contrarias planè reddit impossibiles. 8. Peccatum à Parentibus in sobolem non est propagabile per animam (quia hæc à Deo immediate creatur) nec per Corpus (velut, quod non magis est capax peccati, quam lapis aut lignum) E. planè non datur peccatum originis. 9. N. naturale est peccatum: Concupiscentia est naturalis. E. non est peccatum. Vid. Socin. l. alleg. Cont. Pl. 119. 42. 43. 105. Rom. 3. 20. c. 7. 7. 1. Cor. 2. 13. 14. 2. Tim. 1. 13. 14. Eph. 2. 20. Coloss. 2. 4. 8.

III. Prout homo post lapsum, libertatem aliquam arbitrii, etsi attenuatã & valde inclinatam circa objecta Physica, Ethica, Politica, naturaliter item cognoscibilia, vel agenda externa retinuit: Ita circa objectum supernaturale vel bonum Spirituale, facultatem, & consequenter libertatem intelligendi & volendi bonum spirituale penitus amisit: nec id saltem: sed & loco amissæ libertatis, tristissimam peccati servitutem, & quandam bono spirituali repugnandi & malum in genere volendi necessitatem subiit. Neque verò negata hæc libertas & à peccato immunitas adscribenda est dogmati (nedum hoc habendum velut pietati adversum, & propterea erroneum) sed tristissimo lapsui. Cont. Soc. l. quod 2. P. c. 1. in præl. c. 4. Sm. cont. Fr. disp. 8. p. 416. Ostorod. Inst. c. 33. 34. Catech. Racov. de off. Ch. Proph. c. 10. Es ist keine Erbsünde hat demnach der freie Wille des Menschen nicht können verderben werden. Conf. Act. 5. 4. 1. Cor. 7. 37. Act. 17. 17. 1. Cor. 2. 14. Ephel. 4. 17. Rom. 7. 7. 14. 17. 21. c. 8, 7. Gal. 5. 17. 2. Cor. 3. 5. 2. Pet. 2. 19. Rom. 6. 16. 17. 20, 21.

IV. Universalis quidam lapsus brutorum, unà cum hypothesi, de capacitate & culpa & pœna in brutis, commentum sunt Socini. Contra: Prout peccata, ita & pœna formaliter & propriè loquendo non cadunt in bruta: sed homines: Nec ab executione pœnæ extensa etiam ad bruta, ad culpam & pœnam brutorum magis valet illatio, quàm ab extensione illius etiam ad inanimata (ut frustra objiciantur Leges c. c. Exod. 21. 28. Lev. 20. 15. 16.) Conf. Gen. 3. 16. c. 8, 21. Num. 16. 32. Matth. 15. 11.

V. Non

V. Non solum *habitus peccandi* vitiosus: sed & *quilibet peccati actus*, etsi non *spontaneus* vel *deliberatus* (multo magis *procreatus*, etsi non *iteratus*) ex natura sua talis est, qui a regno *colorum* excludit, & adeo est *peccatum per se damnans*. Erronea adeo sunt hæc sententia Socinianorum 1. *Solus actus spontaneus legi oppositus, peccatum est.* 2. *Unus singularis peccatorum actus* (etsi *crassus*, & *gravior*, ac *deliberatus*) *facere, non potest ut aliquis renatus esse desinat.* 3. *In V. T. unus singularis actus fuit peccatum damnans: in N. T. non actus: sed solus peccandi habitus consuetudine inductus, damnat.* Vid. de 1. Smalc. cont. Franc. disp. 2. & 12. post. p. 42. 46. 59. 454. 456. l. i. de err. Ar. c. 2. 19. Curcell. p. 116. de 2. Smalc. de fatif. p. 239. cont. Fr. disp. 9. & 12. p. 299. 455. 456. de 3. Socin. l. q. 2. P. c. 1. p. 9. 10. Sm. de fat. p. 239. Conf. Deut. 27. ult. Gal. 3. 10. Matth. 5. 17. 18. 19. Rom. 6. ult. cap. 8. 13. 1. Joh. 3. 8. 15. c. 5. 18. Jacob. 2. 9. Matth. 18. 32. Jud. v. 6. Num. 25. 6. 11. &c.

VI. Non solum peccatum *actuale* per ignorantiam, per precipitantiam, per infirmitatem: sed & ipse *habitus peccandi, contra conscientiam*, cadere potest in *Renatos*, & licet non *finalis*, tamen etiam *diuturnus* in *Electos*, ut frustra adeo & contradictorie renatis *ἀνακατηρίσται* omnimodam, velut sine quâ nemo salvari queat, Socinianismus tribuat. vid. Sm. cont. Fr. disp. 12. post. Conf. Ezech. 18. 24. 25. 26. Rom. 8. 12. 13. Hebr. 3. 12. c. 6. 9. 11. c. 10. 32. 35. 36. c. 12. 15. 16. 25. 1. Tim. 1. 19. c. 4. 1. Matth. 15. 19. Gal. 5. 17. 1. Pet. 2. 11. 18. 20. 21. Jac. 3. 2. 2. Sam. 11. 4. 15. 27.

VII. Error, prout olim Pelagianorum: ita hodie est Socinianorum: *Posse hominem vitam hanc sine commissione ullius peccati actualis traducere.* Contrarium pronunciant illustria scripturæ loca, non *Rhetoricè* vel *hyperbolicè*: sed *proprie* intelligenda Ps. 14. 2. Rom. 3. 9. 10. 11. & seqq. Ps. 32. 7. 1. Reg. 8. 46. Eccles. 7. 20. 1. Joh. 1. 8. 10. c. 2. 1. 2.

VIII. Salvâ *intrinsicâ* peccati omnis ratione, quâ non solum id peccatum quod *strictè morale*: sed & quod in tali *contradistinctione veniale* dicitur, *in se suave naturâ* & ad *regulam legalem exactum* est *damnabile*, nullum in se & ex se *remissibile*: interveniente tamen *pœnitentiâ*, ex solâ *Mediatoris gratiâ*, non solum *quilibet actus vitiosus voluntarius*: sed & *inductus*, vel *crebra consuetudine contractus peccandi habitus*, est *remissibilis*, nec adeo *omne peccatum morale*

est i. a. e.

tale, est tale peccatum ad mortem, pro quo orandum, non pronunciare ausus est Apostolus (1. Joh. 5. 16) nec quodcunque, post nomen Christo datum, enormius delictum, nec quæcunque blasphemia: sed sola obstinata, ex radice amaritudinis, intus, post veritatem evictam, profecta, veritatis, ad finalem usque blasphemiam Spiritus, continuata abnegatio, eademque, ex hypothesi finalis impœnitentiæ irremissibilis, est illud κατ' ἐξοχήν peccatum ad mortem, quod in resp. ad officium S. Spiritus in œconomia nostræ salutis peccatum vel blasphemia in Spiritum S. velut æqualem cum P. & F. Deum, ab ipso Salvatore appellatur conf. Matth. 12. 30. 31. 32. 2. Sam. 12. 5 Jer. 7. 13. 3. 12. 14. c. 7. 16. c. 11. 14. c. 14. 19. Luc. 12. 10. Marci 3. 30 31. Hebr. c. 6. 4. 5. c. 10. 16. 1. Joh. 5. 16. Jud 5. 16. Errant adeo Sociniani, quodlibet peccatum s. blasphemiam graviolem, peccatum in Spiritum S. appellant, inter peccatum in S. S. & blasphemiam Spiritus distingventes, & ab hac ad illud, consequentiam negantes. Soc. tr. de DEO p. 103. 121.

III.

DE HOMINE per MEDIATOREM

ΘΕΑΝΘΡΩΠΙΟΝ REPARANDO, & circa hunc, æterno DEI PROPOSITO, ac hujus executione in tempore.

I.

AB homine lapsō, ad hominem reparandum, & propter hunc, ab illo maledicto ad θεάνθρωπον, velut ab illā maledictione liberatorem & salutis penitus amissæ gloriosissimum Reparatorem, ac benedictionis spiritualis Autorem, verèque sic σωτήρα mundi, jam olim in Paradiso, Adamo, nec minùs distinctè tribus Patriarchis, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, velut tale mulieris SEMEN, in quo omnibus gentibus, à tyrannide Diaboli, contrito hujus capite, liberatio, & pro maledictione benedictio obventura esset, promissum, & in quo solo DOMINUS dat (in hac vitā) gratiam, (in alterā) gloriam, ascendimus. Deus quippe, prout ab æterno, prævisō lapsu, & per hunc miseriam, in hominibus ex merā misericordiā corrigibili, in Angelis ex justitiā divinā non corrigibili, ex immensā Φιλανθρωπία, propter solos homines, & ab execratione, cui obnoxii erant, liberandos, & in spem vivam ad hereditatem

G

ἐμάρτυρος

ἀπαγαγόντων in cælis, regenerandos, & sic salvandos, Filium unigenitum, ut peccata nostra in corpore suo sursum super lignum crucis tolleret, & plenissimam ac superabundantissimam suo, Agni intaminati, pretioso Sanguine, Redemptionem & expiationem peccatorum per consumatissimum pro generis humani reatu in cruce, Sacrificium, præstaret, atque sic opera Diaboli dissolveret, in hunc mundum mittere, ac ad beneficiorum illorum Messia salutarem fruitionem omnes homines per Evangelium vocare, vocatos, non morosè & incessanter resistentes, fide donare, justificare, inque tali justiciâ fidei finaliter perseverantes, glorificare, in saluberrimo voluntatis divina beneplacito decrevit ac proposuit: Ita, interveniente προνοία, præscientiâ, omnes prævisos sic finaliter credituros in Christum τὸν Σωτήρα, ex merâ gratiâ, propter hujus Universale meritum, satisfactionem, & intercessionem, ad adoptionem & vitam æternam prædestinavit, atque sic ab æterno à turbâ ceterorum, ob vincibilem infidelitatem finalem, reprobatorum, segregavit, ac in plenitudine temporis Filium illum unigenitum in mundum misit, cujus adeo missione, & per hunc redemptione universali suppositâ, in tempore omnes vocat, credentes justificat, perseverantes glorificat. Errant Sociniani 1. & maledictionem talem s. reatum universalem, & ab hâc adeo liberationem per Christum, & hunc jam olim in Paradiso Adamo promissum, velut Semen illud mulieris, negantes. 2. Messiam nasciturum, etiamsi Adamus non peccasset, asserentes, verum adeo missione Messia finem, negantes, & falsum, ad Angelos quoque extendentes. 3. Meritum Christi, & ex prævisâ in Christum, ut Mediatorem, fide, prædestinationem oppugnantes. 4. Electionem cum vocatione, quæ sit in tempore, confundentes, eandem ab usu naturalis liberi arbitrii, & intuitu operum & obedientia suspendentes. 5. Electionem æquè ac reprobationem mutabilem statuantes, sic ut & verè electi possint perire, & Reprobi salvari. 6. Dogma de Electione ex merâ gratiâ, quod sit licentiosioris studii peccandi inductivum, bonorum operum & verè Christianismi impedimentum, pietati inimicum, falsò, nec sine palpabili Paralogismo accidentis & consequentis, accusantes. Vid. Socin. 2. in miscel. & lib. quod 2. P. p. 11. 13. 14. Catech. Racov. de off. Christi Proph. c. 10. & alibi. Conf. Galat. 3. 10. 13. 14. 16. Gen. 3. 15. c. 22. 18. c. 26. 4. c. 28. 14. 2. Sam. 7. 19. Joh. 3. 16. 17. Ephes. 1. 3. & seq. c. 2. 5. 1. Cor. 5. 19. 20. Coloss. 1. 20. c. 2. 13. 14. 15. Rom. 8. 29. 30. 31. Pl. 84. 12. 1. Pet. 2. 7. 8. Act. 13. 45. 48. c. 15. 18.

II. Missio.

II. *Misso illa Filii unigeniti, & actualis adusque mortem Crucis satisfactio*, licet non immediatè lapsum primorum Parentum, & publicatum in Paradiso *proteuangelium* exceperit, & sic, *ratione temporis articulati*, & à Spiritu S. *scrutatoribus Prophetis revelati*, liberationem fidelium in V. T. non antecesserit, quia tamen fides sanctorum non apprehendit Christum (*unum eundemque heri & hodie & in secula*) & satisfactionem Christi, *ratione temporis*: sed respectu *infallibilis veritatis, infinitæ virtutis, ac æterna divinæque ordinationis*: sc. *Neminem à pœnâ damnationis æterna liberatum & ad regnum cælorum admissum iri, nisi merito satisfactionis JESU CHRISTI, vera fide apprehense*: proinde *actualis satisfactio Christi*, non minùs liberationem fidelium V. quàm N. T. (et si non æque *ratione temporis*: tamen) *ratione meritoria causalitatis, decreti Dei certi & irrevocabilis, & in hoc ordinata vere salis satisfactiois*, atque sic, *ratione fiducialis apprehensionis* (citra discrimen temporis s. præteriti s. futuri) antecessit, ut sic nec *Novatio*, nec *delegatio* hic intervenerit, ac si Christus in locum fidelium V. T. ceu debitor, ipsis jam liberatis, & obligatio Christi illorum obligationi successerit: cum sanctio illa pœnalis, quâ obligabantur ad pœnam, respectu fidelium V. T. quidè fuerit relaxata, respectu Christi autem (ex *contractu verissimo* ad pœnam vicariam *ratione illorum fidelium V. T. tunc adhuc obligati*) manserit integra, plenitudini illi temporis reservata, quâ salvâ, non intererat ad effectum s. liberationem fidelium, quo tempore satisfactio Christi præstaretur actu. Potest quippe effectus solutionis antecedere solutionem. Conf. Crell. de satisf. p. 23. p. 329. Conf. Gen. 3. 15. c. 49. 10. 18. Num. 24. 17. 18. Dan. 9. 24. & seq. 1. Pet. 1. 10. 11. 12. 19. 20. Gal. 3. 17. c. 4. 4. Luc. c. 1. 4. 5. 56. c. 2. 1. c. 3. 1. 2. c. 13. 33. c. 22. 53. Joh. 7. 30. Act. 2. 23. c. 4. 28. Apoc. 13. 8. Hebr. 13. 9. 2. Tim. 1. 19. 20. Ps. 69. 5. Heb. 9. 9. 10.

III. Ubi ergo jam venit *plenitudo illa felicissimi temporis*, ineunte inde à conceptione Johannis, *mense sexto*, simul Gabriel Mariæ admirabilis illius conceptionis plenam fidem fecerat, SPIRITUS S. per ineffabilem sacratissimamque superventionem, ex *solius Mariæ Virginis animatâ carne & sanguine* (sine materiæ alicujus, *in se* quidem carneæ & terrestri, at *respectu principii*, s. *Spiritus S. spiritualis & cœlestis*, collatione) Massam segregatâ & ab omni peccato mundatam, atque sic sanctificatâ, in veram, & *ratione essentia & existentia integram & completâ naturâ huma-*

G a.

nam.

nā, corpore organico & animā rationali, ab animā Mariæ traducta, constantē, solā personalitate conaturali (ob communicabilitatem infinitæ hypostaseos vel illius in hanc, instantissimam evectionem) destitutam efformavit, ut adeo Spiritus S. non fuerit conceptionis Christi causa sive *σπειρατική* & sic *ὕλη* s. materialis, seminalis, nec *ὄργανική* s. instrumentalis: sed unā cum Virtute Altissimi *ἡγεμονική* s. Efficiens Principalis. Errant adeo Sociniani, blasphemē 1. Conceptionem illam carnis s. naturæ, non personæ humanæ, putidam & monstrosam fabulam appellando. 2. Deum Patrem per Spiritum S. vicem Patris supplēvisse, h. e. id, quod in generatione hominis à parte Viri adjici solet, contulisse, comminiscendo, & adeo, non totum id quod conceptum est ex solo Mariæ semine conceptum esse: sed & à Spiritu S. sive in uterum Virginis immisum, sive in hoc creatum substantiale quoddam, ut sic juncto illo, quod ex Virginis Sangvine accessit, verus homo genitus fuerit. 3. eidem collationi & concursui Spiritus S. cum Mariā, per talem *σμβολήν* materiæ cujusdam ad generationem hominis JESU, filiationem Christi divinam superstruendo, propter quam sc. ex aquo appelletur Filius Dei ac Filius Mariæ, usque adeo ut, extra illum concursum in generatione per collationem carnis talis divini si foret, Christus ab initio sui ortus Filium Dei dici non potuisset. 4. Spiritum S. virtutem quidem veram divinam & increatam, & tamen Organicam conceptionis Christi causam, non principalem, ipsoque Christo natura mero Homine, & sic creaturā, minorem, duplicatā contradictione pronunciando. vid. Smalc. cont. Smiglec. & in resp. ad nov. monstr. c. 18. p. 156. in ref. disp. Gravv. de Spiritu S. p. 22. Conf. Luc. 1. 26. 35. 42. 43. 45. 47. 48. 49. Matth. 1. 20. 21. Hebr. 2. 14. Gen. 3. 15. 2. Sam. 7. 12. Jes. 7. 14. Act. 2. 30. Joh. 4. 24. Jacob. 1. 17.

IV. Licet supernaturalis illa conceptio de Spiritu S. ex Mariā Virgine, humanæ Christi naturæ tantum tribuerit existentiam, per quam concipitur ut *σπέρμα*, non autem *subsistentiam*, per quam, ut *θεοῦ λόγου σάρξ*: tamen quia in eodem instanti temporis, simul natura hæc existit, solus unigenitus Dei filius, in immensam ac adorandam suam *subsistentiā* naturam illam humanam assumpsit, & quod naturale, *subsistendi in se*, complementū, deerat, incomparabiliter eminentiori & perfectiori supplevit, simul quoque & in eodem temporis momento, dum VERBUM CARO

CARO FACTUM EST, & sic ὁ λόγος ἱ. æternus & unus ille ab æterno genitus, & imperferutabilis, prout generationis: ita & nominis, DEI Patris Filius, idemque, *Deus benedictus in secula*, est incarnatus ἱ. HOMO factus, jam CARO illa (vel integra natura humana) DEI VERBI Caro fuit, ipsaq; inde Maria non solum sive *κεκοιλῆκε*, sive *θεογονῆκε* ἱ. saltim *Christipara*, vel *Dei Filii para*: sed & verè & realiter *κεκοιλῆκε*, *θεοῦ ἱ. DOMINipara*, & *DEI para* vel *DEI DOMINI Mater*, & jam tunc, ante partum, ab *Elisabeta*, ex dictamine S. Spiritus, est prædicata, & ab omnibus generationibus talis prædicanda, & inde verè & realiter quoque dicitur *DOMINUS gloria crucifixus & Deus passus*. Errant adeo Sociniani ἱ. ipsum mysterium incarnationis prodigosè, blasphemè traducendo. vid. Smalc. in ref. thes. Gravv. de incarn. & disp. 4. cont. Franc. p. 95. Oltorod. Instit. c. 17. p. 86. 2 Mariam fuisse *θεοῦ ἱ. κεκοιλῆκε ἱ. c. DEI* vel *DOMINI* altissimi matrem pernegando. 3. Dogma illud, *Deum esse mortuum* simpliciter Satanae adscribendo. Conf. Smalc. cont. Fr. de perf. Chr. p. 65. hom. 8. in Joh. p. 88. refut. 1. lib. de err. Arian. p. 160. Conf. Joh. 1. 1. 2. 14. 1. Tim. 3. 16. Rom. 9. 5. Hebr. 2. 14. Luc. 1. 38. 42. 43. 47. & seq. Hebr. 7. 26. Dan. 9. 24. Ps. 2. 7. 12. Prov. 8. 22. Prov. 30. 4. Rom. 8. 22. Act. 20. 28. 1. Cor. 2. 8.

V. Christus, licet, τὸ κατὰ οὐρανὰ, immediate sit ἀπὸ τοῦ, mediante tamen matre Virgine, non solum *Davidis*: sed & *Abrahami* & *Adami* Filius est, & sic, *HOMINIS* Filius creditur ac appellatur, etfi, quia non fuit in *Adamo*, resp. *subsistentiæ*, permodum *personæ finitæ*, nec respectu ipsius *naturæ humanæ*, velut *virtute naturali sub concursu Dei generali & ordinario inde nascituræ*, non solum quicquam *labis Originalis vel mortalitatis & mortis* inde non contraxit: sed nec contrahere potuit. Conf. Rom. 9. 5. Hebr. 7. 3. Matth. 1. 1. 18. 20. 25. Mat. 1. 8. 21. c. 9. 6. Luc. 3. 23. 38. c. 1. 35. Jes. 7. 14. c. 11. 1. 2. Jer. 23. 5. 6. c. 31. 22. 1. Tim. 3. 16. Rom. 5. 15. 16. 17. & seq. Hebr. 7. 26. Erravit adeo Socinus 1. Christum *Davidis* quidem *Filium* esse & dici, concedendo, *Adami* autem negando. tr. de Eco. p. 265. 2. Prave & contradictoriè inferendo: si sc. Christus fuerit *Adami* Filius, & *Adamus* propagaverit *speciem corrupti*, non solum, *conceptione Christi, ex conjunctione maris & femine posita*, & *naturâ divinâ Christi negatâ*: sed &

illâ negatâ, hæc autem positâ, consequens fore, Christum non minùs ac nos, labem peccati Originalis contraxisse, quin & morti necessariò obnoxium fuisse. Notetur hîc iterum contradictio Socini, qui in tract. de Eccl'es. p. 265. Quod Christus, inquit, non sit ex Adamo vel Adami Filius, libenter amplector. Satis mihi est credere, illum ex Davidis semine prognatum esse. Idem autem l. de lect. sacr. p. 152. Neceffe est fateri, ipsum Jesum Christum morti necessariò fuisse obnoxium naturâ suâ, velut ex Adamo prognatum, & ex ejus semine ortum, ac propterea non minùs ex Adamo, quàm nos, quicquid labis trahitur, similiter traxisse: Conf. quoque corruptela loci Hebr. 7. 27. pro probando inde, Christo propitiatore sui ipsius, & à negatione mortis Christi non satisfactoriæ pro se ipso, inferendo inde ad negationem mortis Christi satisfactoriæ pro nobis. vid. Franc. sch. Sacrif. disp. 18. thes. 89. & 97.

VI. Summum illud & ὁμολογουμένως magnum Pietatis mysterium sc. DEUS est manifestatus in carne, & unitas Personæ Mediatoris, Hominis Jesu Christi, nos docet, Christum siue connaturali personalitate humanâ, verum tamen, & ratione essentiæ, & existentiæ, univocè nobiscum esse HOMINEM. Implicat quippe, humanam naturam Christi habuisse propriam subsistentiam s. existere per se, sine dependentiâ; sustentante, & tamen eandem subsistere in hypostasi æterni Dei Filii. Frustra adeo postulant Sociniani, vel hypostasi divina Christum exautorari, & subsistentiam humanam eidem surrogari, vel duas in Christo personas agnosci, vel Christum hominem planè negari. Smalc. in cr. 122. & ref. libri 1. de err. Arian. Conf. 1. Tim. 3. 10. c. 2. 5. 6. Luc. 1. 35. 1. Joh. 1. 2. 3.

VII. Christus, non saltem, non, propter humanam naturam conditionem s. à Spiritu S. ex Virgine productionem: sed nec propter ullam siue sanctificationis, s. glorificationis, siue cujuscunqve, etsi incomparabilis, officialis excellentiæ dignationem, suppositâ naturâ & personâ merè humanâ, Filius Dei, à Patre hodie genitus, & sic proprius, & unigenitus, neq; verus Deus siue esse siue dici potuit: sed jam ab æterno, & per æternam generationem, verus propriusqve Dei Filius, & quoad essentiã, unus cum Patre, & Spiritu S. Deus benedictus in secula, in propriam Filii subsistentiam divinam, naturam humanam assumendo, & adeo, suppositâ incarnatione & hypostaticâ unione, jam & ipse Deus HOMO, & Filius Dei, Filius hominis, ac contra, propter personæ ἰουδαίου, & infinitæ subsistentiæ communicationem, Filius hominis, ille, naturalis, unus, verus & proprius
(non

(non adoptivus) ac æternus Dei Filius, idemque Filius Mariæ, non factus quidam & subordinatus: sed Unus ille Deus est, extra quem non est alius. Neq; Patres *Francofurtani Concilii* a. 794 contra Felicem & Elipandum, pro Christo, secundum naturam humanam, Filio Dei non adoptivo: sed naturali, pronunciantes, sive divinam Filii naturam, sive *subsistentiam*, sive generationem & in hâc fundatam filiationem æternam negarunt, quin potius pro unitate filiationis, & sic personæ Christi divinæ, contra dualitatem filiationis divinæ, vel adoptivam, Christo ut homini competentem, fortissimè militarunt, & pronunciarunt. Conf. Joh. 1. 1. 14. 1. Joh. 1. 1. 2. Joh. 3. 16. Prov. 30. 4. Prov. 8. 22. Mich. 5. 2. Jud. 13. 18. Pf. 96. 4. 10. Pf. 97. 1. 7. Hebr. 1. 6. Rom. 9. 5. 1. Joh. 5. 7. 1. Tim. 3. 16. Jer. 30. 21. c. 33. 16. Matth. 3. 17. Errant Sociniani rationem Filii Dei naturalis, in ipsâ conceptione Christi de Spiritu S. resurrectione, & nudâ excellentiæ, in tempore, donatione, fundantes, ante conceptionem, nullam realem existentiam Filii Dei, nedum Filium Dei æternum & Patri *ὁμοούσιον* agnoscentes, confessionem Catholicorum veterum e. c. *Francofurtanorû, de homine Jesu Christo uno vero & proprio Dei Filio*, Sophisticè & hæretice interpretando, pro se allegantes, mox autem receptui canendo, dogma hoc de æterno quodam Dei Filio ex Mariâ incarnato, jam inde à *Cerintho & Ignatio* deducere conantes, & *Apostasiam quandam universalem Christianorum ex gentibus, mox post obitum Apostolorum* ab hac fide, quæ sc. tunc *Apostolorum*, hodie sit *Socinianorum*, asserentes. Conf. *Zvikk. novi fed. Jos. p. 9. 21. 27. Smalc. ref. 2. part. Smigl. p. 155. 156. 158. Socin. l. 9. 2. p. 36.*

VIII. Quod argumentum Ostrodo insolubile adeo vilum est ut ipse sibi pulcherrimè videre visus, de Catholicorum cæcitate fuerit conquestus, (sc. *Si Filius Dei exiit ab æterno & adeo ante conceptionem de S. Sancto, & tamen Filius Dei conceptus est de Spiritu S. in utero Virginis, atq; adeo existere demum cœpit inde ab illâ conceptione. E. admittendi duo Filii. Sed absurdum posterius E.*) & facilè solubile est: Limitatur sc. majoris subiectum: & tamen alius Filius Dei conceptus est: vel: & tamen idem numero personali Dei Filius. Priori ratione, concessa majore conceditur totum argumentum. Posteriori (limitato pariter illo: & adeo respectu nature assumptæ existere demum cœpit &c.) concessâ minore, negatur major.

IX. Christus, ut homo, non per peculiarem raptum vel ascensum in cælum (qui contigerit intra Baptismum & inchoatum personale
mini-

ministerium, pro quo primo ascensu pravè, ac in grande præjudicium dogmatis de *Incarnatione* urgentur loca Joh. 3. 13. 31. c. 6. 38 62. c. 8. 28 c. 16. 28.) & singularem revelationem: sed per *Unionem personalem*, & in ipso personaliter inhabitantem totam Deitatis plenitudinem (quæ non minori *ἐξουσία*, explicatur de voluntate Dei revelatâ contentâ in doctrinâ Christi) accepit infinitam scientiam, ad exertionem officii Prophetici necessariam, neque eâ fine, ut novam legem Evangelicam, quæ abolveretur præceptis moralibus, ceremonialibus, & fidei, ferret, vel Legem Moysi ejusque obligationem auferret, vel singulis Decalogi præceptis supplementum, & ipsi cultui religionis novum objectum, novum sc. Deum supremo illi in V. T. soli adorato subordinatum adderet: sed ut gratuitâ remissionem peccatorum & salutem jam manifestatam, doceret: neque ut Patriarchis sub V. T. incognitas: sed ut easdem, quas illi acceperant, *vita æternæ*, etsi remotis jam umbris & typis, evidentiores promissiones revelaret Conf. Joh. 3. 34. Coloss. 2. 3. 9. Ephes. 4. 9. 10. Hebr. 10. 16. 17. Matth. 4. 10. Apoc. 19. 10. Contra Socin. comm. conf. Catech. Racov. de off. Chr. Proph. â. p. 152, adusque p. 250.

X. Christus verè, propriè, perfectè & principaliter (non tropicè, organicè, & ministerialiter) Mediator, Salvator & Redemptor, neque saltem post: sed & ante ascensionem, in cruce verissimi & perfectissimi valoris sacrificium expiatorium & propriusimè satisfactorium consumando, nec sine divinitâ in ipsâ cruce potestate, Sacerdos fuit, & nos offendentes reos reconciliando, verè Deum offensum placavit: nec adeo Christus illâ reconciliatio-
ne hoc egit, ut nos amici Dei esse i. e. à Deo offendendo desistere vellemus & sic ex merâ benignitate citra satisfactionem veram à Deo ipso peccatorum remissionem adipisceremur, inque gratiam ejus reciperemur vid. Soc. Inst. p. 135. Idem Christus post ascensionem in cælum (in quod non bis: sed semel saltem & demum post resurrectionem ascendit, non Sacrificium iterando: sed, virtute illius initerabilis pro nobis interpellando, officium sacerdotali exequitur in cœlis, secundum humanam naturam sedens ad dextram Patris & sic in die novissimo regnum gratiæ tradendo se ipsum Patri subjecturus, ut tamen regni ejus finis non sit futurus. Conf. Matth. 1. 21. Joh. 4. 42. Hebr. 5. 8 c. 7. 22. 2. 26. c. 8. 6. c. 9. 11. 12. 21. 25. Rom. 8. 34.

XI. Illi *Merito Christi* non solum debetur gratuita, eademque proprie & univoce sic dicta VOCATIO per *Verbum*, præcipue *distinctè*, & extensive *plene* prædicatum, cum LEGALE, tum EVANGELICUM (quod utrumque quidem *vitam æternam* promittit: sed illud, perfecte & sine ullo defectu *obedientibus* & sic *operantibus*, unde, prout Lex nullum lapsum vel in peccatis mortuum justificare vel vivificare potest: ita & post lapsum, *non data est, ut vivificet s. justificet*: hoc autem s. *Evangelium*, jam inde ab *Adamo*, & adeo *unum idemque in V. & N. T.* citra præstationem ullius nostri operis Deum inducentis, *gratis* promittit *gratiam & gloriam*, solis in Christum *credentibus*, sic ut & in N. T. & in V. nullus sanctorum justificetur vel justificatus sit ex Lege: sed tantum ex Evangelio) sed & *Vocatio illa communis*, & sub *Rationis lumine* possibilis *inquisitio* revelatæ singulariter veritatis, velut sufficiens, non quidem ad conversionem: tamen ad cultus idololatriæ detestationem, & inquisiti veri cultus ab isto discretionem, prout talis inquisitionis continuatio, & à morosa repugnantia cessatio, debetur prævenienti, & per influxum gratiosum *merito Christi partem* præparanti *gratiæ*. Conf. 1. Tim. 2. 4. 5. 6. 2. Cor. 5. 18. 19. 20. Rom. 8. 3. 30. c. 9. 24. c. 10. 5. & à 14. ad usque, Act. 20. 20. 21. c. 26. 18. 20. Lev. 18. 5. Deut. 27. ult. Gal. 3. 10. Gen. 3. 15. Joh. 1. 17. Rom. 1. 16. Act. 4. 10. c. 15. 10. 11. c. 17. 27. 30. Jer. 2. 6. 8. 10. 11. 12. c. 10. per totum. Contra Socinianos 1. ex negatione status *sub potestate Satanae*, & reatus *pœnarum infernalium*, vocationem quoque talem, quæ debeatur *merito Christi*, *negantes*, 2. Legem moralem, *aliam sub V. aliam & auctiorem sub N. T. statuentes*, & à promissionibus legis *vitam æternam* excludentes, *Legem perfectè à Viatore præstabilem* pronunciantes. 3. Evangelium demum *immediatè à Christo* patefactum, & sive planè non, sive non unum idemque, inde ab *Adamo Patriarchis & sanctis V. T.* cognitum, *asserentes*, & illud *exacta obedientia præceptorum & sic conditione operum* circumferibentes Conf. de 1. Soc. I. de serv. Crell. de satisfact. de 2. Soc. in miscell. tr. 1. p. 5. ad v. Seidel. ep. 1. p. 23. Ostorod. Inst. c. 5. 22. 34. Soc. I. q. 2. P. c. 1. 4. 5. p. 60. Catech. Racov. de off. Christi Prophet. de 3. Smalc. ref. thes. de iust. p. 124. 151. Socin. in miscel. p. 87.

XII. *Primarium & Summarium Resurrectionis Christi*, non quidem solitario, & velut à morte ejus expiatoria avulsæ: sed cum *λύτρω* mortis conjunctæ, beneficium est, Nostri REGENERATIO, quod hæreticis hypothetibus e. c. 1. *Spiritum S. illius causam*, & multo magis, *primariam* negando, *Verbum* quoque non nisi *objectivè* admittendo, *causaliter* autem excludendo. 2. Christum ut *Mediatorem* per proprium *meritum & satisfactionem*, & sic

Evangelium evertendo, *Baptismum* quoque, si habeatur velut *medium organicum regenerationis*, Idololatricum proclamando. 3. *Regenerationis* subjectum, exclusis *Infantibus*, & *adultis ante mortem & resurrectionem Jesu*, omnibusq; adeo sanctis V. & *Infantibus* cum V. tum N.T. ad solos adultos, inde ab exaltatione Jesu in *Cruce* s. tempore N. T. restringendo. Vid. de 1. Smalc. nov. monstr. c. 20. Moscorov. de Bapt. p. 114. de 2. Smalc. cont. Franc. de 3. Smal. de nat. Dei Fil. c. 4. p. 21. c. 5. p. 35. 36. Conf. 1. Pet. 1. 3. 4. Pf. 22. 31. II. 53. 8. 10. Joh. 1. 12. 13. c. 3. 5. 9. 1. Theff. 2. 13.

XIII. Paulus Rom. VII, 14. & seq. & ad Galat. 15. 17. (ubi & iuxta carnis non est solius appetitus sensitivi: sed & rationis *adversus Spiritum*) non loquitur in personâ hominis irrogeniti, nec de seiplo in *sensu diviso*, qualis fuerit sub Pharisaismo: sed in *sensu composito* sc. de seiplo ut *regenito*, quæ sententia ab Augustino sene retractante, novissimè agnita, hæreticè à Socino appellatur manifestus error. Vid. ibid. v. 16. 17. 18. 19. 22. 23. 1. Cor. 2. 14. 15.

XIV. Licet homo *convertendus*, in instantibus conversionis, possit, *verbum legale & Evangelicum* audiendo, & non morosè Spiritui S. resistendo illo ordine incedere, quo posito, non possit non succedere ipsius *Conversio, regeneratio*, & ex merè immundo ab omnibus peccatis *purificatio*, licet quoque jam *purificatus & sic renatus*, possit non tantùm subjectivè: sed & causaliter & effectivè seipsum *ἀγιῶσαι & καθαρῶσαι*, tamen, cum positiva illa, & passiva, quæ quis Evangelicè *per Sanguinem Agni* ex antecederent immundo fit mundus, tum Præservativa illa & activa, quæ studet, ne ex mundo fiat iterum immundus, non Naturæ, vel naturalis liberi arbitrii: sed solius *Gratiæ* viribus, & *Spiritus S.* pœnitentiam s. contritionem (cujus objectum constituunt non solùm *peccata actualia*, etiam *graviora, & habitualia*, post agnitam veritatem Evangelicam inducta: sed & ipsum Peccatum Originis s. *originalis concupiscentiæ*, ipsiq; primi hujus motus, etiam in *Renatis*) ex *Lege*: fidem autem (per quam est *Pœnitentia ad vitam*) in gratiam Dei merito & satisfactione Jesu Christi partam, ex *Evangelio*, sine ullâ cooperatione naturalis Liberi arbitrii, producenti & unicè operanti, ac post consummatâ demum conversionem ita cooperanti, ut solis illis novis viribus in conversione donatis, homo jam renatus, possit *ab omni inquinamento carnis & Spiritus seipsum purificare, & tempus presentis peregrinationis, in Sanctimoniam, cum timore Domini ad finem usq; vitæ traducere*, est adscribenda. Act. 13. 38. 44. 48. 1. Joh. 1. 7. 9. c. 3. 3. c. 5. 18. Ephes. 2. 5. 8. Phil. 2. 13. Act. 19. 19. Rom. 5. 20. c. 7. 7. 23. Rom. 7. 16. Act. c. 11. 18. Rom 3. 23. 24. 2. Cor. 3. 5. 6. Joh. 8. 36. 2. Cor. 7. 1. Contra Socinianos
1. Con

1. Conversionem libero arbitrio s. viribus natura, quibus possit homo lapsus, sine superveniente Dei gratiâ, seipsum erigere, sicut opus hanc habeat recurrere in lapsibus talibus ad opem & adiutorium gratiæ, vindicantes (Socin. præl. c. 5. in miscell. p. 89. Ostorod. c. 33. Catech. Rac. c. 10. p. 248. Volkel. van. ref. c. 8. Smalc. cont. Franc. disp. 8. ex error. 105.) 2. Contritioni pœnitentiæ, concupiscentiam originalem, cum motibus indeliberatis, quoniam peccata actualia & habitus, propter aversionem, in his, sive minimum sive nimium, subtrahentes (Socin. l. 9. 2. P. 59.) 3. Eadem, pœnitentiæ formam, eandemque relativè consideratam, ut apprehendentem Christi meritum & in hoc gratiam divinam, pro merè humano commento, & inanisimo somnio habentes. (Soc. l. de Chr. serv. p. 401. Smalc. cont. Franc. disp. 12. p. 449. 450. disp. de pœn. sect. 5. thes. 44.) 4. Novam obedientiam, pro parte essentiali s. genericâ s. formali pœnitentiæ, sicut pœnitentiæ definitivè sit nova obedientia, æstimantes (Conf. Smalc. sect. 5. de pœn.)

XV. Justificatio hominis (coram tribunali Dei, qui ignis absumens est) æquè ac regeneratio, solius DEI (& ratione principii, & ratione activitatis) opus est, non, hominem, velut ex acquisito habitu justum tractantis, & citra ullâ pro absolvendo præstitam satisfactionem, per absolutam & simplicem peccatorum condonationem, sibi obedientem, justificantis: sed ex merè gratiâ, propter solum solius Christi meritum, ac redemptionem (non metaphoricam: sed propriam) per solam fidem in Christum (quæ & ipsa non hominis: sed solius Dei opus est) hominem peccatorem à reatu absolventis, & in statum gratiæ restituentis: neque alius modus formalis justificationis fuit in V. quàm N. T. sed utrobique idem, sc. non per opera: sed per fidem, ipsamque sic Christi justitiæ, nostræ injustitiæ remissoriæ, imputationem. Contrarium hæreticè defendere conantur Sociniani, restitutionis in primis vocabulum in hoc argumento perosi. vid. Soc. de stat. 1. hom. c. 10. p. 286. p. 4. de Chr. serv. p. 318, 320. Conf. Rom. 3. 23. & seq. c. 5. 15, 18. & seq. Ephes. 1, 8.

XVI. Licet ὑπακοὴ πίστεως (Rom. 1. 5. c. 16. 26.) ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας (1. Pet. 1. 22.) imo & aliquando ὑπακοὴ sine addito (1. Pet. 1. 2. Rom. 6. 16.) sit descriptio FIDEI Christianæ, quæ omni verbo Dei, ipsique sic Evangelio assensus præbetur, & Deo per verbum vocanti obtemperatur, fides tamen justificans, quatenus talis, & respectu objecti sui formalis, operibus hominis etiam justificati in negotio salutis, opponitur, nec adeo per qualitatem vel obedientiâ quandam nostram nisi hæreticè definitur. Cont. Socin. de justif. p. 11. 58. 75. de Chr. sacr. p. 239. Smalc. l. de satisf. p. 239. Conf. Rom. 10. 16. c. 11. 6. Eph. 1. 8.

XVII. Apertæ τερατολογίας hæreticæ, alicubi etiam domi contradictoriæ,

sunt, assertiones Socinianorum sequentes. 1. Omnes quidem ab initio mundi homines, eodem pacto, eadem fide justificari: ceterum diverso modo justificari Christianos in N. T. ab illo, quo justificati, qui ante Christum vixerunt. 2. Modum justificandi per FIDEM, nunquam fuisse propositum, nec federe inclusum nec unquam promissum, & tamen homines ante Christum, ad exemplum Abrahami patris credentium, fuisse fide justificatos. 3. Fidem justificatorum ante Christum, nihil habuisse commune cum fide justificatorum in N. T. 4. Prout Christus, antequam nasceretur ex Virgine, non exiit: ita nec Evangelium ante Christum. 5. Dicitur Habacuc: Justus ex fide vivet, non fuisse sub veteri federe regulam justificationis, imò ne omnibus quidem notum: sed prophetiam saltem de modo justificandi tempore N. T. 6. Fidem non dari in Christum: sed per Christum velut causam secundam s. instrumentalem, in Deum. 7. Licet Christus sit objectum fidei, tamen non objectum terminationis: sed transmissionis, ad Deum sc. Patrem, in quo solo acquiescat, & excellentiori quadam ratione confidat. 8. Ab objecto tamen necessaria fiducia ad objectum invocationis necessaria (Christum sc.) non V. C. 9. Non solum Deum: sed & ipsum hominem virtute naturali liberi arbitrii, fidei causam efficientem esse. 10. In V. T. fidem obligasse in so um Deum: in N. T. quoque requiritur fidem in Christum. 11. In V. T. potuisse quidem homines credere Christum venturum: sed nec credidisse, nec credere potuisse in Christum. 12. Legem Evangelicam auctiorem veteri, absolvi partim preceptis moralibus novis in N. T. propositis, partim novis ceremonialibus, partim promissionibus fidei. 13. Opera nostra h. e. obedientiam, quam Christo prestamus, esse justificationis & salutis nostra coram Deo, causam sine qua non. 14. Fidem non esse justificationis causam efficientem, nec organicam: sed, sine qua non. 15. Fidem justificantem tantum habitam virtutum requirere, prater eaque nihil. 16. Christi Sanguinem esse causam instrumentalem salutis, nec hanc ex necessitate absolutam: sed hypotheticam. 17. Sub V. T. non constituisse alium modum justificandi, nisi per opera qui omnes obligaverit, & hominem tamen sub V. T. fuisse ex operibus justificatum. 18. Fuisse omnes justificatos sicut Abraham, & tamen Abrahami justificatio velut aliud quod singulare describi. 19. Credere, nos per Sanguinem vel mortem Christi justificari, non esse fidem justificantem. 20. Homines sub novo federe justificari veram Dei benignitate, per fidem in Christum, citra ullius tamen s. meriti s. λόγου Christi respectum. 21. Christi meritum sibi applicare, & ita Christo redemptori propter ejus obedientiam confidere, nihil aliud esse, quam historicum quendam assensum. Conferantur de his Smalc. cont. Franc. disp. de justif. Soc. miscel. & de justif. ite de Chr. serv. & alibi.

XVIII. Nec renovatio, nec Bona Opera ullo modo sunt sive causa, sive medium salutis (justificationis & glorificationis) sed & salutis aeternae, nulla datur depen-

dependentia à bonis hominis operibus: sed unicè à divinâ gratiâ & redemptione Christi per fidem apprehensâ. Ac licet *Bona Opera*, subiecto per solam fidem justificato & salvando, necessariò insint, & variis modis necessaria sint, tamè non solùm non sub *ratione meriti, cause, medi, instrumenti*: sed nec sub *ratione, conditionis, vel cause sine quâ non*, necessaria ad salutem æternam consequendam sunt, vel dici debent, Apostolo clarè pronunciante: *Beatitudinem esse illius hominis, cui Deus imputat justitiam SINE OPERIBUS*. Notetur hîc Socinianismus cùm in thesi: *Hominem non justificari*, sive saltem (etsi gratis justificatus) *non salvari*, sine *Bonis operibus*, vel *habitu virtutis velut ad salutem necessario*, & *Homini bene operandum esse*, sub *spe vitæ æternæ consequendæ*, tum in mediis probandi, quæ duo urget Smalcus, unum ex Hebr. 12. 14. *quia sine sanguine nemo Deum videbit*: alterum: quia vita æterna appellatur *merces*. Vid. Smalc. cont. Franc. disp. 6. 7. 212. 356. 357. Soc. in catech. 1. p. 139. Conf. Ephes. 2. 8. Rom. 4. 16. c. 11. 6. 1. Pet. 1. 5. 7. 8.

XIX. Erroneæ sunt & scripturis contradictoriæ assertiones Socinianorû, de Ecclesia & hujus membris pro ratione status Hierarchici, Politici, Oeconomici, consideratis, e. c. (1) *Quætionem de Ecclesiâ quanam sit & apud quos sit, esse propemodum inutilem* (Nicolaid. contra Borkow. p. 9.) (2) *Posse Ecclesiâ, tenere Christi præcepta & sic esse veram Ecclesiâ & tamen destitui verâ agnitione Dei & Jesu Christi*. (3) *quancung, Ecclesiâ, in quâ aliqualis extet disciplina Christi, esse columnam & firmamentum veritatis*. (4) *posse hodie instaurari externam Christi Ecclesiâ, & tamen non constare, utrum sit vera*. (5) *Nec esse, nec unquam fuisse talem Ecclesiâ, quæ, etiam in articulis fundamentalibus, quorum negatione salus æterna adimitur, errare non potuerit. Ecclesiâ universam posse seduci in credendis ad salutem necessariis*. (6) *Ubi auditorum numerus magis magisq, deminuitur, signum idesse falsæ Ecclesiæ, ubi indies accrescit, veræ* (7) *Doctrinam veram & salutarem non posse esse Ecclesiæ notam, cum sit forma*. (8) *Unicuiq, in Ecclesiâ licitum esse debere, sententiam de omnibus ad veritatem divinam pertinentibus dicere, & in hoc, Verbi divini ministros publicè reprehendere & corripere* (vid de his Soc. in miscell. p. 224. 226. 227. 235. 243. 245. 246. l. 9. 2. P. c. 6.) (9) *Disciplinam Ecclesiasticam pertinere ad Ecclesiæ constitutionem, & ab ejus negatione, ad negationem Ecclesiæ V. C. Ostorod. c. 29. Instit.* (10) *Ad officium docendi in Ecclesiâ sufficere, aptitudinem in docente, & vitam inculpatam, si ut talis, etiam citra specialem missionem, electionem, vocationem, obligetur ad docendum publicè* (Soc. contra Midziboz. p. 103. 108. & Borkov. de miss. ministr. p. 97. 99.) (11) *Dispensatione Sacramentorû non pertinere ad naturam Ministerii, cum non tantùm Ministri: sed &*

quilibet alii administrare sacramentum possint (Soc. miscell p. 253.) (12) posse aliquem Verbum Dei publicè docere , & tamen de doctrinâ sua meritò dubitare. (vid. ibid.) (13) Ecclesiam in hoc mundo , nullum regimen Politicum , præter disciplinam Ecclesiasticam admittere. (Ostorod c. 19. Inst. p. 195.) (14) Vindictam publicam sub V. T. permissam , in N. T. penitus sublatam , neque , stante interdico Christi , Matth. 5 (ubi v. 22. 23. 32. 34. corrigatur Lex Mosai a) sive læso licitum illam petere , sive Magistratui hanc exerceo (vid. Sociu l. q. 2. P. p. 26.) (15) Jus bellorum & capitalium suppliciorum in N. T. penitus sublata. (16) Polygamiam esse licitam. (Volkel. l. 4. de rel. c. 16. Smalc. de reb. civ. p. 389. & alii.)

XX. SACRAMENTIS effectus spirituales tribuere , non est dogma falsum blasphemum , idololatricum (prout blasphemè statuit Socinus , p. 50. Smalc. cont. Franc. p. 311. 332. & seq. Nicol. cont. Borcov. p. 107. , sed divinum , Propheticum & Apostolicum . Nec Sacramenta sunt nuda Ceremonia s. ritus exteriores , & legis moralis appendices : sed sunt mysteria Evangelica , regenerationis nostræ s. formandæ s. confirmandæ media organica , in N. T. à Christo instituta & articuli de Sacramentis , suo modo fundamentales sunt. Conf. Matth. 28. 19. Marci 16. 16. Joh. 3. 5. 1. Cor. 11. 27. 29. Cont. Nic. p. 109. 123. Sm. cont. Fr. p. 311. & p. 332.)

XXI. Actiones tales sacras compositas , quæ veteri Ecclesiæ vocabulo Sacramenta appellantur , in N. T. duas tantum esse , & in his BAPTISMUM ante EUCHARISTIAM ordinandum , ex scripturis solidè astruitur. Conf. Luc. 3. 34. Matth. 26. 26. 27. 1. Cor. 10. 16. 1. Cor. 12. 13. cont. Smalc. in disp. 11. Fr. p. 347. Catech. Racov. de off. Chr. Proph. c. 3. & 4.)

XXII. Medium gratiæ ad salutem vocationis ac regenerationis (cuius æqvè ac Baptismi subiectum recipiens tam sunt infantes , quàm adulti , & tam illi , quàm hi verè ejusdem speciei fidei capaces) BAPTISMUS aquæ est , in expresso nomine Patris , Filii , & Spiritus Sancti administrandus , nec adeo , sive velut Ceremonia temporaria & adiaphora , merè adumbrativa , à Joh. Baptistâ vel Apostolis , privato ausu adhibitus : sed à totâ S. S. Trinitate est institutus , & à *θεοῦ ἰουάννου* post resurrectionem , ad omnes gentes extensus , velut in Ecclesiâ Catholicâ , ad usq; consummationem sæculi , duraturus , necessitate præcepti , mediæ , effectus gratiosi , non adultis saltem ; sed & infantibus (quibus in Baptismo fides confertur , ut sic regenerentur) summè necessarius : quod prodigiose blasphemè Sociniani pernegant. Conf. Luc. 3. 2. 3. c. 7. 30. Matth. 28. 19. Marci 16. 16. Joh. 1. 33. c. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Cor. 1. 17. Tit. 3. 5. 1. Pet. 3. 21. Gal. 3. 26. 27. Act. 2. 38. c. 8. 37 (quæ aliæ loca magno numero de Sacramento Baptismi aquæ intelligenda impudenter negant Socin. Conf. Sm. contr. Fr. disp. 10. p. 307. 308. 310. 312. & seq.) Conf. Moscorow. in ref. app. Smiglec. à p. 15. ad p. 60.)

XXIII. Non minùs in S. Cœnâ non est ritus planus simplex, & nulli non ingenio facilè perceptibilis (qvo sc. *credentes saltem panem frangant & edant, calicem autem bibant, & mortem Domini tali actione adumbrant vel commemorant, ita ut S. Cœna tantùm sit opus nostrum, quo nos Deo aliquid demus, nihil autem à Deo accipiamus.* prout comminiscuntur Socin. Catech. Racov. p. 221. Smal. cont. Franc. p. 326. et seq. p. 347. Socin. l. q. 5. P. p. 45.) sed cœleste *mysterium*, cum 1. resp. *Præsentiæ materia cœlestis* 2. *modi præsentia & unionis rei cœlestis cum terrena* (corporis sc. Christi ineffabili modo uniti cum *Pane*, & *Sanguinis Christi cum calice benedictò.* 3. resp. *Communicationis Sacramentalis*, qvatenus in tali unione, panis qvem frangimus, est *communicatio*, non Spiritus: sed ipsius *Corporis Christi*, & *calix benedictus*, non solius virtutis vel efficaciam: sed ipsius *Sanguinis Christi*, sic ut omnes communicantes panem & vinum, revera qvoqve ore Corporis edant Corpus Christi cum pane, & bibant Sanguinem Christi cum vino. 4. resp. *Communicationis Spiritualis*, qvatenus omnes verè fideles mediante tali *Communione Sacramentali* singulariori qvodam & arctiori modo apprehendunt *Corpus & Sanguinem Christi*, atqve sic spiritualiter comedunt & bibunt, in remissionis peccatorum, unionis suæ Spiritualis cum Christo, & vitæ æternæ ac gloriosæ resurrectionis divinam confirmationem. Conf. 1 Cor. 11. 23. 27. 28. 29. c. 10. 3. 4. 15. 16. & seq. 1. Joh. 5. 8. 9. Matth. 26. 26. 27. 28. Luc. 22. 20. Joh. c. 6. 53. 54. 55. 56.

IV. DE HOMINE GLORIFICANDO.

Supremum Messiaë beneficium est *Credentium æterna glorificatio*, s. *æterna beatitudinis fructio*, quæ cum *privativè* (resp. omnium hæc in vitâ variè alterantium vel affligentium) tum *positivè*, resp. axiomatum gloriæ conferendorum non solum in scripturis Novi: sed & V. T. descripta & revelata, neq; saltem revelata & variis promissionibus commendata: sed & jam tunc fidelibus fuit exhibita, qvòd male negatum Socino est lib. q. 2. P. p. 63. & Smalcio cont. Franc. p. 222. Conf. Rom. 8. 30. Joh. 17. 24. Job. 17. 16. c. 19. 25. 26. 27. 28. Gen. 5. 24. Gen. 15. 1. Hebr. 11. 26. Gen. 17. 7. Exod. 3. 3. Matth. 21. 30. 31. 32. Hebr. 11. 10. 16. Ps. 36. 9. 10. Dan. 12. 1. 2. 3. Hab. 2. 4.

II. Ex interveniente Christi merito est, qvòd *mors Corporis*, quæ non fuit conditio primæ naturæ: sed effectus est *primæ culpa* s. *stipendium peccati*, neq; verò *totalis hominis extinctio* s. *in nihilum redactio*: sed *Animæ à Corpore*, salvâ illius in qvòcunqve statu, *intrinsicâ immortalitate* (quæ etsi ex parte sub rationis lumine scitur, longè tamen certius sub revelationis lumine creditur) *separatio*, resp. credentium habeat rationem *Medii glorificationis* Joh. 5. 24. c. 8. 51. Phil. 1. 23. Apoc. 14. 13. c. 6. 9. 10. 11. Eccles. 3. 18. 19. Luc. 25. 43. Matth. 10. 26. 28. Cont. Sm. de div. Chr. c. 13. p. 79.

III. Reçè Hieronymus cont. Vigilantium de animâ separatâ: *Non possumus, inquit, incorporalem & eternam animam in modum glivium immobilem torpescemque sentire*, cujus ejusdem dictum laudatum Augustino ep. ad Fortunat. *Cum in Angelos profecerimus, nos visuros faciem Dei*: quo ipso, non negat animabus separatâ sanctorum, omnem cum animabus Angelicis *ἀσθησι*: sed saltem consummatam. sc. juxta illum: *In morte beatâ anima proficit in Angelum, in resurrectione, totus homo*. Omnino ergo Animæ separatæ beatâ Dei visione fruuntur, verè vivunt, non sine reminiscentiâ præteritorum, quam secum efferunt in aulam Regis. Nec statuendum plus oblivionis in sinu Abrahami, quam in orco. Conf. Luc. 16. 24. 25. Apoc. 6. 9. 10. 11. Cont. Smalc. cont. Franc. p. 409. & in ex. err. 98. p. 28.

IV. Inter axiomata positiva beatorum jam inde à resurrectione, erit Corporis, ejusdem sc. numero cum illo, quod *hic gestavimus, redintegrandi & suscitandi*, per gloriosam immortalitatis aliarumque excellentiarum spiritualium collationem, ad *conformationem usq. Corporis gloriosi Christi, glorificatio*, quam eorundem numero corporum resurrectionem hæreticè negant Sociniani. Conf. Job. 19. 25. 26. Il. 26. 19. 1. Cor. 15. 42. 43. 44. § 3. 54. Joh. 5. 25. 2. Cor. 5. 10. Rom. 8. 11. Dan. 12. 2. Philip. 3. 21.

V. Inter axiomata positiva totius suppositi glorificati, erit beatifica essentia divinæ non saltem intellectualis, qualis dabatur jam ante resurrectionem in statu separato: sed etiam per *Oculos corporis* excellentissimè reformatos & salvâ substantiâ, dotibus pneumaticos, *beatifica visio*, eademque cum perpetuâ exultatione, & celebratione, ac flagrantissimâ dilectione conjuncta. Contra eosdem. Conf. Job. 19. 27. 1. Cor. 13. 12. 1. Joh. 3. 2. Joh. 16. 22. 1. Theff. 4. 17.

VI. Loca Dan. 12. x. 2. Joh. 5. 28. 29. (non autem c. 5. 25.) agunt propriè de *resurrectione in die novissima*. Nec Luc. 16. 27. 28. nuda parabola est, nedum fabula planè fictitia, similis illis quæ de Ixione, Sisypho, Tantalo fabulantur poëtæ: sed verissima status oppositi Animarum separatarum representatio. Nec esse *in inferno* idem est quod in nihilum redigi: nec aded impii sive planè non sunt resuscitandi, s. resuscitati & judicati, iterum cum dæmonibus in nihilum redigendi, quæ deliria sunt Socinianorum. Conf. Sm. cont. Fr. p. 419. Conf. Matth. 25. 41. Marc. 9. 44. 46. 2. Theff. 1. 9. Joh. 3. 18. 36.

VII. Resuscitationem, & *Judicium illud supremum*, quo electis ex merâ gratia, propter commune meritum, & intercessionem Christi, adjudicabitur *vita æterna*, immediatè excipiet *consummatio seculi*. omnis in univèrsam creaturæ non intelligentis, totalis per ignem abolitio, & sic totius hujus seculi erit

F I N I S.

PRÆCELLENTI JUVENI
GOTHOFREDO Weisß / Holland:Prusso,
SS. Theol. Cultori fulgidissimo

quum
Anti - Socinianismum universum publicè
iteratoque Disputationis actu

die sc. XXI. & XXIIIX. Aprilis

In Academia Rostochiensis AUDITORIO MAJORE
defenturus esset.

Sic tibi surgit honos, expers & adorea lethi!
Subseqva sunt curis indefessoque labori
Præmia, quòque magis crescit prænobilis ardor,
Discendique fitis, tanto se celsius effert
Gloria sanctorum studiorum, fama que clara
Pectoris egregii. Lernæam contudit Hydram
Alcides, fluvios ad Phasidos extulit Argo
Hos, alios gelidam virtus provexit ad Arctum
Quos labor, & moles non terruit ardua rerum.
Non dispar incumbit onus tibi Candide WEISSI
Nec minus hæc pietate decus! Te cura benigni
Sideris, inque tuos glomerans se gloria plausus
Orchestra Varni commendat, & igneus ille
Ingenii vigor, haut summis conatibus impar.
Scilicet hæc juvenis laus est, in flore Juventæ
Ingenium claras ritè excoluisse per artes
Tollere humo sese, quin pectoris indole celsa
Vincere, censentur sortis quæ dote caduca,
Et virtute sibi propriâ splendere decorum.
Hoc opus est, vitiis indicere bella probrosis

Et sibi

Et sibi sacratas morum præfigere leges.
Ecce sacro per te crescit reverentia monti!
Et quæ mœsta velut, velut inconsulta silebant
Nunc sylvæ, nunc antra loqui, nunc vivere fontes.
Nunc Sacer horror aquis, adytisque effunditur Echo,
Sanctior, & Sacræ sperat præfagia palmæ,
Dum Delphis longè potiora oracula pandis.
Et nunc prodigium cunctis immanius hydri
Tigride mobilius, quod vel glomerantur in unum
Innumera pestes Erebi, quascunque sinistro
Nox genuit fetu, gestus artemque nocendi,
Quod velare dolis didicit, sensusque minaces,
Undique collectis quod stipat curia monstris
Aggrederis mactus. Non hoc erupit ab orci
Faucibus invisis, pansomque erexit hiatus
Tristior ulla lues, nec detestatus unquam
Prodigii genus, & miseris affligere gentes
Et flatu violare diem, stygiisque vel astra
Nubibus infestare, suos cecinisse triumphos
Addidicit, diro perfundens sacra veneno.
Tu clypeo DOMINI, gladio tu flaminis, Hydræ
Invadis, pugnae cupidus, certusque triumphi.
Gratulor egregiis conatibus. Ipse juvabit
Cælo, crede, DEUS. Pugnas has palma sequetur.

Honori & amori quod debuit

L. M. Q.


AUGUSTUS VARENIUS, D.

☉(•o):☉

PRÆCELLENTI JUVE
GOTHOFREDO Weisß/Ho
SS, Theol. Cultori fulgidit

quum
Anti - Socinianismum univer
iteratoque Disputationis a
die sc. XXI. & XXIIIX.
In Academia Rostochiensis AUDITOR
defensurus esset.

Sic tibi surgit honos, expers & adoro
Subseqva sunt curis indefessoque la
Præmia, quòque magis crescit præno
Discendique sitis, tanto se celsius eff
Gloria sanctorum studiorum, fam
Pectoris egregii. Lernaam contu
Alcides, fluvios ad Phasidos extulit
Hos, alios gelidam virtus provexit a
Qvos labor, & moles non terruit a
Non dispar incumbit onus tibi Can
Nec minus hâc pietate decus! Te cu
Sideris, inque tuos glomerans se g
Orchestra Varni commendat, & ig
Ingenii vigor, haut summis conatib
Scilicet hæc juvenis laus est, in flore
Ingenium claras ritè excoluisse per
Tollere humo sese, quin pectoris in
Vincere, censentur sortis quæ dote
Et virtute sibi propriâ splendere dec
Hoc opus est, vitiis indicere bella p



uffo,
blicè
RE
fibi